

3 2044 074 347 105


Harvard College
Library
VE RI
TAS
FROM THE FUND OF
HARRIET J. G. DENNY
OF BOSTON

CONSPECTUS HISTORIÆ
INGOLSTADIENSIS ACADEMIÆ

DURANTE PRIMO A FUNDATIONE SÆCULO

1472-1588

THESIM LITTERARUM FACULTATI PARISIENSI PROPONEBAT
AD DOCTORIS GRADUM PROMOVENDUS

J. DE CROZALS
Olim Scholæ Normalis alumnus



PARISIIS
EDEBANT SANDOZ ET FISCHBACHER BIBLIOPOLÆ
33, viâ dictâ de Seine, 33

—

1877

CONSPECTUS HISTORIÆ

INGOLSTADIENSIS ACADEMIÆ

Parisiis. — Ex typis Caroli UNSINGER, viâ dictâ du Bac, 83.

CONSPECTUS HISTORIÆ
INGOLSTADIENSIS ACADEMIÆ

DURANTE PRIMO A FUNDATIONE SÆCULO

1472-1588

THESIM LITTERARUM FACULTATI PARISIENSI PROPONEBAT

AD DOCTORIS GRADUM PROMOVENDUS

J. DE CROZALS


Olim Scholæ Normalis alumnus

PARISIIS

EDEBANT SANDOZ ET FISCHBACHER BIBLIOPOLÆ

33, viâ dictâ de Seine, 33

1877


HARVARD COLLEGE
JUL 31 1922
LIBRARY

PATRI ET MATRI

PIÈ DICAT ET VOVET

J. C.

CONSPECTUS HISTORIÆ

INGOLSTADIENSIS ACADEMIÆ

DURANTE PRIMO A FUNDATIONE SÆCULO

Ingolstadiensis Academia, durante primo a fundatione sæculo, propriis quibusdam inter cæteras Germaniæ Universitates insignis facta est, et satis amplam haud ingratis investigationibus materiam præbet.

Profecto consideranti modo statuta et totius Academiæ compositionem, perpauca apparent quæ non cum cæteris Academiis fuerint communicata; Viennensis enim Academiæ filia, Ingolstadiensis insignem illius similitudinem refert. Sed e tempore ipso, quo fuerit fundata, peculiare quoddam accepit. Inter eas enim Ingolstadiensis Academia numeranda est, quarum originibus priores Germanicæ Academiæ exemplum præbuerint, et quæ, quinto decimo sæculo, irrepente in dies hæreseos labe, fuerint fundatæ (1). Nullam scilicet ob rem magis quam ob tuendam religionem novæ illæ Academiæ institutæ fuerunt; sed, ubi tempus processit, discidium inter Academias haud aliter ac in universali Ecclesiâ factum est; et, suis quæque in partibus, antiquæ aut novæ fidei sedes Academiæ exstiterunt. Seu ad propagandam seu ad propulsandam Lutheri doctrinam plurimum valuerunt Academiæ, et si quis ea modo in religionem beneficia intuetur, haud mediocrem inter omnes locum Ingolstadiensis Universitas obtinebit.

1. Rostochii, 1419. Ingolstadii, 1472. Tubingæ et Moguntiæ, 1477.

Sive quia in manu Ducum Bavariæ, pertinaciter Lutheri partibus infensorum, plane fuit Ingolstadiensis Academia, sive quia Ingolstadii primum inclaruit vir ille Johannes Eckius, quo nullus fuerit inter Catholicæ fidei propugnatores eo tempore illustrior, Romanæ religionis quasi arx et Bavariæ propugnaculum Ingolstadiensis Academia exstitit. Postea, quum in urbe primum, deinde in Academiâ locum sibi elegissent Patres Societatis Jesu, vehementius contra Lutheranos Academicorum animi fuerunt incitati, et contra prope victrices in Inferiore Germaniâ Lutheranorum copias bellum fuit acriter reportatum.

In tres igitur partes dissertationis hujus argumentum dividi potest, prout ad humaniorum litterarum renovationem, aut ad acerrimas religionis causâ contentiones, aut ad confirmatam in Academiâ Patrum Societatis Jesu auctoritatem intendimus animum. Si quis enim sæculum illud a fundatione primum intuetur, gravissima apparent temporum discrimina, quum, pene intra octoginta annorum spatium, duo præcipuæ studiorum atque animorum immutationes evenerint : eam scilicet de Ingolstadiensi Academiâ disserentibus nobis materiam proposuimus.

Raro evenit ut Academiarum Annales tam diligenter quam Ingolstadienses fuerint editæ. Sæpius enim, ad exemplum Wittembergensium Annalium quas edidit Suevo (1), ex aridâ nominum et rerum commemoratione constant. Si autem Ingolstadiensibus rebus operam damus, monumentum amplissimum, *Annales Ingolstadiensis Academiæ,* nobis offertur.

Circa finem primi a fundatione Universitatis sæculi, Martinus Eisegrinus Theologus (2) auctor fuit ut in unum corpus omnia ad Ingolstadiensem Academiam pertinentia deducerentur, provinciamque illam Valentino Rotmaro, Oratoriæ professori ordinario, commisit. Non ea mens Rotmaro fuit Academiæ historiam scribendi (3) : operam præcipue dedit ut « illorum nomina qui scholam Ingolsta-

1. Academia Wittebergensis, ab anno fundationis, *edid.* G. Suevo, 1655. Wittebergæ, in-4°.

2. Rotmari Epistola dedicatoria, p. III. Ap. *Annales Ingolstadiensis Academiæ Inchoârunt Val. Rotmarus et Joh. Engerdus, emendavit...* J. N. Mederer. Ingolstadii, 1782, 4 vol. in-4°.

3. « A me tumultuarie potius effusa quam scripta ». *Rotmari præfatio,* p. V.

diensem illustraverant simpliciter breviterque memoraret, eorumque quum virtutes tum dignitates fusius explicaret (1). » Morte sub veris initium, anno 1581, interceptus opus imperfectum (2) reliquit; quumque jam prior operis pars typis esset excusa, Johanni Engerdo, Collegii Theologici Decano, munus moriens commisit inchoatum opus ad finem perducendi. Engerdi industriâ, absolutum opus, anno 1581 exeunte, editum est (3).

Anno 1772, consilium cepere Patres Academici (4) Rotmari opus usque ad præsentem annum perducere; res Medero permissa est, publico historiarum professori. Quum non ultra annum 1579 Rotmarus progressus sit, Medero tantum duce usque ad annum 1588 usi sumus.

Sed primi quoque a fundatione sæculi Annales evolventi certissimum subsidium Mederus suppeditat, quippe qui Rotmarianum textum non mediocri supplemento expleverit, et multa quæ Rotmaro aut inutilia aut ingrata forsan fuissent, addiderit. Teste ipso Medero (5), qui fuerint illius operis fontes accepimus : « Matriculâ præcipue Academicâ et Diariis Facultatum » usus est, « Medicæ imprimis ac Philosophiæ, quæ nuspiam fere deficiunt, » et quanquam Theologicæ Facultatis ex aliquâ parte annales deficerent, certissimis modo monumentis fidem adhibuit.

Itaque Rotmari et Mederi beneficio nobis licuit Ingolstadiensis Academiæ historiam de integro restituere. Profecto Rotmarianis Annalibus hoc vitium est ut res omnes, magnæ aut leves, ejusdem æstimentur, et sæpius obscurorum virorum laudes inflatius extollantur. Commune hoc est ejusmodi operibus vitium, et nobis necesse fuit Annales aut corrigere aut absolvere, adhibitâ librorum omnium recensione, qui de Ingolstadio aut de Bavariæ rebus aut de privatâ inclytorum doctorum et professorum vitâ tractaverunt.

1. *Engerdi Epistola dedicatoria*, p. VII.

2. « Errata Rotmari quæ non pauca mihi occurrerunt. — *Præfatio Mederi*.

3. Mederer. II, p. 57. Epistolam dedicatoriam die XIV mens. Novem. 1581 dedit Engerdus.

4. Mederi præfatio.

Quoties in notulis Rotmari Engerdive aut Mederi nomen laudatur, ad eam scilicet Annalium Ingolstadiensis Academiæ partem notulæ argumentum spectat, quam unusquisque ediderit.

5. Mederi præfatio. Ap. *Ann. Ing. Acad.*

I

CAP. I. — Quem ad finem fuerit Ingolstadiensis Academia fundata; quem ad modum et quibus auspiciis humaniorum litterarum initia susceperit.

Ingolstadiensis Academia a Duce Ludovico, cognomine Divite, qui, Henrico Landishutano defuncto, in ditionem Ingolstadiensem anno 1447 successerat, fuit fundata. Quum Wicleffi Hussiique hæreseon spectaculo Europa exagitaretur, consilium ceperunt nonnulli Germaniæ principes, ne latius res serperet, novarum Academiarum fundamenta ponendi, et doctoribus doctisque religionem quasi commendandi (1). De Universitatibus condendis haud semel Constantiæ et Basileæ est disputatum, et Conciliorum ad id valuerunt deliberationes ut Albertus VI, Austriæ Archidux, Friburgensem in Brisgoiâ (2), Wratislaus IX, Dux Pomeraniæ, Gryphiswaldensem Academiam conderent.

Quamvis non eodem tempore fuerit fundata, his tamen connectitur Ingolstadiensis Academia, nec ob aliam causam fuit condita. Martino enim Mayero (3) cancellario operam interponente, Ludovicus Dives a Papâ Pio II « Bullam pro Universitate erigendâ » Septimo Idus Apriles an. 1459 impetravit (4). Sed propter bellum cum Brandeburgensi Marchione concitatum, Academiæ fundatio procrastinata est, nec ante Januarium mensem, an. 1472, dux Ludovicus e Ducali suo castro Landishutano fundationis litteras præstitit. An. 1449, Ludovicus Barbatus, Comes Mortaniæ, Bassæ Altæque

1. « Doctorum virorum quum esset necessitas et utilitas. Rotmar. *Prolegomena*, p. XX.
2. Meiners. — Geschichte der Entstehung und Entwickelung der hohen Schulen unsers Erdtheils. Göttingen, 1802 1805, I, p. 255.
3. J. H. von Falkenstein. — Geschichte der alten, mittlern und neuern Zeiten des Grossen Herzogthums und ehemaligen Königreichs Bayern. München, Ingolstadt u. Augsburg, 3 B. in-fol. 1763.
4. *Annales*, IV, p. 16. — Hundius. Metropol. Salisburg, tom. II, p. 290.

Bavariæ Dux (1), ut animæ suæ quieti consuleret, Præbendam Ducalem, vulgo « *Des Pfrundthauses* » constituerat, in quâ « 12 cantoribus seu psaltisteristis et quindecim personis præbendatis, tanquam personis miserabilibus, inopibus et egenis » res ad vivendum necessariæ commodarentur (2). In eâ scilicet domo et cum iisdem stipendiis Ingolstadiensis Academia constituta est (3). Lectionum initium fuit mense Martio, et Academia VI kalendas Julias an. 1472 est inaugurata. In domo igitur *Pfrundthaus* nuncupatâ fuit initio sedes Academiæ : *Pfrundthaus* Academici « Collegium vetus (4) » appellarunt, in quo lectoria (5) et aula magna solennibus Universitatis accommodata præsto erant. Super 24 annos, Academia tota in antiquo *Pfrundthaus* fuit conclusa.

Antequam Academiæ status absolute informaretur (primus enim Rector Julio tantum mense (an. 1472) renuntiatus est), celeberrimus discipulorum conventus Ingolstadium affluxit. Ante pronuntiationem Rectoris, 489 studiosi juvenes, viri, clerici pariter ac sæculares, fuerant inscripti ; toto autem anno, 794.

Quum ex papali bullâ decretum esset ut « omnibus privilegiis, libertatibus, exemptionibus, honoribus et immunitatibus (6) frui deberet Ingolstadiensis Academia quibus magistri, doctores et studentes in studio Viennensi fruerentur, » ad similitudinem Viennensis Academia Ingolstadiensis ab omni parte est constituta. Attamen non fieri poterat quin inter illas propter temporum diversitatem discriminis aliquid interponeretur : eo præcipue notabilis fit Ingolstadiensis Academia quod Ducum auctoritas multo magis Ingolstadii quam Viennæ valuerit : quum enim, interjecto post fundatum Viennense studium sæculo, multo ampliores ad suppeditandam

1. **His scilicet verbis Pont. Max. usus est, dum fundatam Academiam** an. 1465 confirmaret. *Annal.*, IV, 23.
2. Variant multa de præbendatorum numero auctores. — Acta quibus fundatio Academiæ confirmata est, Germanicâ linguâ scripta sunt. — Vide : *Annal.*, IV, p. 1-9. — *Confirmatio Eystettensis Episcopi*, p. 10-15. — Hundius. *Loc. cit.*
3. « Eam dotavit capellâ et domo præbendariâ vulgariter *Pfrundhhaus* ». Hundius. *Loc. cit.*
4. Hundius. *Loc. cit.*
5. Rotmar. *De Situ Academiæ*, I, p. XXI à XXV.
6. Bulla. *Annal.*, IV, 17.

Academiam impensæ essent, eo arctius dominati sunt Duces intra Academiæ muros quo majora in eam beneficia contulerant.

Ab initio, paucissimi Professores Ingolstadii numerabantur; Hundio enim teste (1), 1 Theologiæ professor, 2 Canonistæ, 1 Legista, 6 Artium Professores ibi erant. Imo, anno 1472, quatuor modo professores et septem Artium magistros in Annalibus reperias. Brevi postea usque ad 12. magistrorum numerus adauctus est. In veteri collegio ex Universitatis ærario omnes vivebant (2); quum tamen arctiori inter se necessitudinis et similium studiorum vinculo sex Artium professores jungerentur, ii demum *Collegiati* appellati sunt (3). Ut tamen e loco Hundii quodam apparet, super hæc professoribus annua stipendia decreta sunt : refert enim Hundius « exigua salaria professoribus ad summam 130 florenorum fuisse constituta (4). » Rotmarus memorat, nec sine superbiâ, nobiles quosdam viros ab initiis inter professores adscriptos fuisse.

Gratuito professores legebant; magistri vero Artium non morati sunt quin, soluto a studiosis stipendio, ipsi legerent; magistrorumque numerus adeo crevit ut, an. 1492, apud Facultatem Artisticam 33 magistri numerarentur (5). Inter duos annos 1478 et 1479, 40 Artium magistri in gremium Facultatis fuerunt recepti, nec quisquam recepto magistro resumtionum habendarum jus adimere poterat (6).

Multum tamen abest ut, primis a fundatione annis, illa professorum, magistrorum, baccalaureatorum, licentiatorum doctorumque multitudo tranquille ageret, et uni ad docendum disciplinæ inserviret. Ingolstadiensis Academia eo scilicet tempore fuit fundata quum in maximo discrimine studiorum ordo ubique versaretur. Mi-

1. Metropol. Salisb., II, 290.
2. *Ibidem.* — Mederer. *Annal.*, I, 22.
3. Hundius. *Ibidem.*
4. Hundius. *Ibid.*
5. Mederer. 1492, I, 40.
6. Quum magis in dies magistrorum apud Artisticam facultatem numerus cresceret, *Concluso* speciali senatûs Academici provisum est ne plures quam deni auditores uni magistro auscultarent. (*Annal.*, I, 17). Ingolstadii non secus ac Viennæ, statutis cautum erat ne magistri « gratis et sine collectâ » legerent. (V. *Statuten der artis. Facultat,* 1389. Tit. 23. Ap. J. Zeisl. *Chronologia diplomatica celeb. et antiq. Universitatis Viennensis,* 1755.

nime mirandum est si, circa initia, in Academiâ discidiorum et certaminum intuentibus nobis spectaculum offertur.

Ex eâ statutorum parte quæ ad Facultatem Artisticam pertinent licet intelligere duas inter se diductas partes in Academiâ fuisse : *Viæ modernæ et Viæ antiquæ* (1) *fautores*, seu, immutato nomine, *Nominales et Reales*. Ea nimirum partitio non Ingolstadii modo justa habebatur : etsi nusquam alibi distincte adeo res agnosci queat, certaminibus ejusmodi Academiæ omnes eo tempore exagitabantur (2) : Heidelbergæ, tres *bursæ* (3) in duas partes dividebantur, ibique Nominales dominabantur; Tubingæ autem, sopiti eâ ætate animi, Reformatæ religionis tempore acrius excitati fuerunt.

Anno 1472 legitime utriusque Viæ fautores secreti sunt et statutis sanctum est « ut Facultas Artium Viæ utriusque suos valeret dinoscere » (4). Utrique Viæ suus præerat decanus, de utrâque Viâ electus (5). Sua cuique Viæ specialis matricula erat (6). Nec tamen ex alterâ ad alteram Viam studiosis transeundi facultas concedebatur. Duobus quoque consiliis antiquæ et modernæ Viæ res committebantur (7); et quum Bursæ alterutri ordini obnoxiæ essent, alterutrius Viæ decano regens Bursæ rationem debebat. Magistri ipsi bifariam se dividebant, nec in utrâque Viâ iisdem libris studiosi utebantur.

Etsi duo decani et duo consilia erant, in unum ærarium soluta a studiosis pecunia recipiebatur (8); sed suum cuique Viæ sigillum

1. Raumer. *Geschichte der Pædagogik*, IV, 24.
2. Haüser. *Die Anfänge der klassischen Studien zu Heidelberg*. Heidelberg, 1844, p. 36.
3. Erant Bursæ Academicæ genus quoddam convictuum publicorum, seu collegiorum, quæ ex instituto Parisiensis Academiæ apud Germanicas Academias fuerant fundata. Artisticæ Facultatis auspiciis, suis tamen statutis, suo rectore, sive conventore, suo procuratore sive œconomo Bursæ utebantur. Bursarum beneficio, studiosi, vel inopes, facilius prope Facultatem sedem habebant; attentius iidem observabantur quid agerent; nec deerant in Bursis qui ediscentibus discipulis præceptores assisterent. Propter hæc tria momenta, haud ex supervacuo ad Academiam Bursæ accedebant.
4. *Ann.*, IV, 81.
5. Statuta, 1742. *Ann.* IV, p. 74.
6. *Ibid.*, p. 81.
7. *De Duobus consiliis habendis*, IV, p. 70.
8. *De Receptore pecuniarum*, IV, 74.

erat (1); et in utrâque Viâ, decano et quatuor magistris « consilio in Viâ suâ electis » præsidentibus, distincta examina fiebant.

Erant ergo in eâdem Facultate duo diversissimæ Facultates, quasi sibimetipsis oppositæ, simili ratione constitutæ, suis tamen legibus et judiciis utentes.

Jam inde a principio, Medero teste, Artistica Facultas numero potius quam inopiâ professorum insignis exstitit; duplicisque Viæ spectaculum præbuit, « id est geminam philosophorum sectam, « Reales et Nominales » (2). Difficile dictu est quo discrimine Ingolstadii studiorum ordo in utrâque Viâ eo tempore dinosceretur : in utrâque scolasticum præcipue in modum studia informabantur. Hoc uno utimur indicio, librorum scilicet catalogo (3), quem nobis statuta tradiderunt. Baccalaureandi iisdem videntur in utrâque Viâ libris operam dedisse. Nullo alio inter se, quam diversâ eorumdem librorum interpretatione, utriusque Viæ fautores distabant.

1. *De Qualitate Sigilli*, IV, 71.
2. *Ann.*, I, p. 5.
3. CATALOGUS LIBRORUM ET SOLUTÆ PRO LECTIONIBUS PECUNIÆ

BACCALAUREATI.	Parvorum logicalium cum exercitio		
	Veteris artis cum exercitio	24	grosseni.
	Elencorum	3	—
	Obligatoriorum	1	—
	Phisicorum cum exercitio		
	Sphera materialis	3	—
	Primi libri Euclidis	1	—
	Algorismi de integris	1	—
	Libelli alicujus Rhetoricalis	1	—
	Primæ partis Alexandri	3	—
	Secundæ	3	—
	Exercitium priorum	10	—
LICENCIATI . . .	Ethicorum		
	Metaphisice	9	grosseni.
	Meteororum	11	—
	De Generatione et corruptione	3	—
	De Celo et Mundo	6	—
	Parvorum naturalium	3	—
	Theoricorum Planetarum	3	—
	Arithmetice communis	2	—
	Topicorum	6	—
	De Animâ	11	—
	Posteriorum	3	—

Ita Aristotelis operibus et philosophiæ scolasticæ maxima lectionum pars tribuebatur; nec immerito in speciali utriusque Viæ sigillo commune id signum incusum erat : « Ymago Aristotelis quæ in manu dextrâ arma domûs Bavariæ, ac in sinistrâ librum apertum teneret » (1). Minima diligentia Rhetoricæ adhibebatur, nec Poeticæ aut Historiæ locus erat.

Eâ igitur tempestate, traditos a medii ævi doctoribus mores Ingolstadii viguisse constat; nec, si quis ad librorum delectum, lectionum numerum solutique stipendii summam spectat, inter Viennæ statuta, anno 1389 disposita, et statuta Ingolstadiensia discriminis quidquam inveniet. Imo etiam si quis studiorum rationem quæ Parisiis, durante xiii° seculo, vigebat, intuetur, rem pœne nihilo immutatam comperiet. Libri iidem in honore sunt : Topica, Elenchos, Ethica, Physica Aristotelis, Metaphysica, liber cœli et mundi, de generatione, de causis...... etc..... Quid mirum, quum tres illæ Academiæ ex eâdem ortæ sint origine ? (2).

In eo tamen jam res erat ut in Academiis mova studiorum ratio paulatim invalesceret. Hoc scilicet rerum transitu ætas illa insignis evadit. Ab initio gravia satis inter utriusque Viæ fautores discidia orta sunt, quibus Academiæ tumultus injiceretur. Quotidianis contentionibus, mutuis altercationibus alii alios lacessebant; et « in apertum schisma res evaserat » (3). Non specialem modo decanum utraque Via ex statutis elegerat, sed separato utraque ærario utebatur; nec ullis clandestinis artibus magistri abstinebant quo facilius studiosos ex alterâ ad alteram Viam averterent. In tantâ magistrorum et studiosorum multitudine, quum sui magistro cuique speciales auditores adessent, haud facile erat prohibere ne in jurgia erumperent : res adeo turbatæ fuerunt ut a duce Ludovico componi debuerint. Decreto Dux prohibuit ne Reales et Nominales a se mutuo discederint, ne se invicem lacesserent aut confictis criminibus elevarent; ne neutra Via veram doctrinam sui unici juris esse prædicaret. Studiosis permissum est alterutrius Viæ professores sectari; quod autem ad examina pertinebat, quatuor eligendi

1. *De Qualitate Sigilli*, IV, p. 71.
2. Ea in statutis an. 1389 editis deprehendere licet : « Quum ab irriguæ fecunditatis scientiarum diluvio almæ matris Universitatis studii Parisiensis nova in agro Ecclesiæ plantata Universitas litterarum Viennensis..., etc. »
3. Rotmarus, an. 1478.

erant magistri, omni Viæ, opinionum et sectæ discrimine remoti. Prescriptum est ut unius decani, uniusque senatûs ditionis Viæ in posterum essent, eodemque uterentur ærario.

Non tamen decretis, etiam consideratis, res in melius mutanda erat. Eâ tantum conditione animi eas scholasticas sordes expellerent, si novæ *Humanismi* disciplinæ et in lucem recens editorum operum studio se applicarent; nec semel posterius Reales et Nominales Academiam conturbârunt. Anno 1498, in disputatione quâdam publicâ, quum duo Reales philosophi verbis Facultati Artisticæ invisis usi essent, de integro in duas partes certamen exortum est, et doctores Jurisconsultos præfectumque urbis, se in pacificationem interponere oportuit (1).

Anno 1507 discidia redintegrata sunt, nec tamen in Artisticâ, sed in Theologicâ Facultate (2), tanquam a professoribus novis et novo lectionum genere in melius immutata Artistica Facultas ea nihil jam ad se attinere existimaret. In Reales et Nominales Theologi deducti sunt, resque tanti fuit ut ab ipso Duce disputatio fuerit dirimenda. Prope est factum ut Reales ex Academiâ expellerentur; quum tamen memoratum fuisset multos olim, etiam Reales, inter sanctos annumeratos fuisse, cessit seditio. Nullum postea in Annalibus discidii hujus vestigium apparet, quippe quum tempus graviorum certaminum appropinquaret.

Quo scilicet anno nova studiorum ratio in Ingolstadiensi Academiâ fuerit accommodata, nullo modo potest constitui, quum istius modi commutationes ætate tantum diutinâ confirmentur. Si quid ex illo documento conjicere licet quod nobis Mederus tradiderit: « Magistri sequentes obtinuerunt per electionem ordinarias lectiones « principales quatuor, alias vero per sortem juxta consuetudinem « et decreta collegii Artistarum (3), » quum 33 magistros nobis « in « Aristotele frustillatim discerpendo » occupatos Mederus ostendat, et eadem series ordinariorum librorum investigantibus nobis offeratur : « Parva logicalia — Vetus ars — Eticorum — Elencorum — Majus Volumen Prisciani — Algorismus — de Generatione et corruptione..... » nihil ab anno 1472 immutatum fuisse videtur.

1. Rotmar., an. 1498.
2. Rotmar., I, p. 73.
3. Mederer, I, 40, anno 1492.

Haud tamen major æquo huic documento fides adhibenda est; eodem enim anno, 1492, *Conradum Celtem* tanquam « *novum professorem, prof. human.* » Ingolstadii inscriptum invenimus (1). Conradi Celtis auspiciis processerunt paulatim Ingolstadii humaniores litteræ.

In annalibus Viennensis Academiæ acta inscripta sunt, quorum auxilio eum potissimum annum notare licet quo humanioribus litteris quasi locus in Viennensi Academiâ fuerit assignatus. Anno enim 1500 « restaurandæ latinitatis causâ » articuli fuerunt in lucem editi (2). Non quod nullum ante illam ætatem Viennæ humaniorum litterarum vestigium apparuerit, præsertim quum de iisdem articulis Mitterdorfius memoret « illos jam superioribus annis fuisse conceptos. » Anno tamen circiter 1500 publica Humanismi apud Viennense studium initia assignare licet.

Ingolstadii autem, vel quum humaniores litteræ jamdiu in honore essent, nullum hujus immutationis vestigium inter acta publica licet deprehendere.

Haud dubium est quin Conradi Celtis adventu novæ studiorum rationis initia designentur.

Jamdiu enim, etsi non intra Academiarum muros, animi ad nova studia sese converterant, nec, vel in Germaniâ, viri defuerant qui Italorum vestigiis insistentes (3), renovatis litteris se toto animo dedidissent. Anno 1492, Conradus Celtis novus professor Humanitatis apud Ingolstadiensem Academiam inscriptus est (4).

Conradus Meissel, cognomine Celtis (5), jam pernotus apud Germanos erat quum Ingolstadium advenit. Erfordii, Schlestadii, Coloniæ se ad oratoriam poeticamque applicaverat; utque animi sui facultates comparando exerceret, omnes Germaniæ Academias lustravit, Italiamque invisit, ubi tunc plurimum litterarum studiosus vir quilibet proficiebat. Parmam, Ferrariam, Boloniam,

1. *Annales*, I, 39.
2. Mitterdorfer. *Conspectus historiæ Viennensis Univers.*, p. 61. (Viennæ, 1724 et 1725.)
3. V. August Koberstein. (*Grundriss der Geschichte der Deutschen Nationallitteratur*, vol. I.)
4. *Annal.*, I, 39.
5. V. Aschbach : *Die früheren Wanderjahre des Conrad Celtes, und die Anfänge der von ihm errichteten gelehrten Sodalitäten.* Wien, 1869.

Florentiam, Venetiam, Romam invisit, celeberrimosque illius ætatis professores audivit (1).

Eâ scilicet ætate, quum, Italorum exemplo, aureâ coronâ illustrissimum e Germaniâ poetam Imperator ipse Fredericus III donavisset, primo omnium ea laus Conrado Celti, 18 die aprilis 1478, in arce Norimbergensi contigit (2).

Eam scilicet ob causam, singulari et quasi publicâ auctoritate florebat Celtis; nec sine jure Mederus eum Ingolstadii commorantem « professione poetam » appellat (3). Ingolstadii studia, lectionesque humaniorum litterarum instituit, nullo tamen pretio conductus, eâdem quâ apud cæteras Germaniæ Academias ratione usus. Collegiatis enim modo solvebantur a principe stipendia; majorem autem novi professores celebritatem habebant, et, Adamo auctore, accepimus jam Lipsiæ et Rostockii « non exiguas docendo « pecunias Celtem acquisivisse. » Primus Ingolstadii humaniorum litterarum auctor fuit; « Primus eloquentiam Romanam, quantum « Germano saltem homini concessum, cum rudimentis Græcæ « linguæ in Germaniam induxit (4). » Celtis habitum ingeniumque haud invenuste Adamus depinxit : « animo et mente hilari, vultu « gelasino, solis, nemorum, montium, peregrinationum, balneorum, « conviviorum, et utriusque musices pertinax amator, omnium anti- « quitatum inquisitor et admirator... » A tali magistro informati paulatim scholasticæ philosophiæ nugas studiosi omiserunt. Latina opera nuper in lucem de integro edita, studiosissime sunt evoluta. Celtis ipse, Horatii exemplo inductus, « *libros Odarum quatuor*, « *cum Epodo et Sæculari Carmine* (5) » edidit, Ingolstadiique poeticam, oratoriamque professus est. Si quis Celtis opuscula evolverit, facile apparebit, ab ipso Celte explicata, quâ in lectionibus suis uteretur nova docendi ratio. Nusquam facilius institutorum ab illo studiorum summam, quam in « Panegyrico ad Duces Ba-

1. Quas ob causas *Celtis*, nec *Celtes*, efferri oporteat, vide Koberstein, I, p. 270.

2. V. Melchior Adamus. *Vitæ German. Philosoph.* — *Vita Celtis.*

3. *Annal.*, I, 39.

4. Adamus. *Ibid.*

5. Loci et temporis mentio deest. Præfatio ex Viennâ an. 1513 data est.

« variæ (1) » licet deprehendere. Videtur enim Celtis non tam Panegyricum Ducum quam suarum lectionum argumentum scripsisse ; nec quidquam aliud est Panegyricus ille quam « oratio in « Gymnasio Ingolstadiensi publice recitata (2). » Academiæ juvenes alloquitur (3). « Quid enim, per immortales Deos, prodest multa « scire, pulchra et sublimia intelligere, si de his loqui cum digni-« tate et eloquentiâ negatum est, et quod uniquum felicitatis hu-« manæ ornamentum est, cogitationes nostras posteritati mandare « nequiverint (4). » Et in alio loco : « Convertite vos, Germani, « convertite vos ad mitiora studia, quæ sola vos philosophia et « eloquentia docere potest (5). » Non tam ergo eruditissimi quam litteris ornatissimi ingenii exemplum præbet ad imitandum, nec Facultatis Artisticæ modo studiosos alloquitur, sed ad se e quatuor Facultatibus auditores invitat, quum declaret vel jurisconsultis philosophiam eloquentiamque necessariam omnino esse, nec quemquam in quovis studio profuturum esse, nisi humaniorum litterarum longo usu fuerit exercitatus. Nec minus musicam Celtis laudat, et ad linguæ Græcæ studium, cujus ipse expers fuisse videtur, concives suos adhortatur. Si quis quo Celtis modo auditorum suorum ingenia informaverit perspicere velit, necesse est Panegyricum attente legat.

Id tamen, quo Celtis flagrabat, humaniorum litterarum studium, proprium quoddam habuit. Illius enim animo semper patriæ imago proponebatur, singularique in Germaniam pietate clarus fuit. Quum enim ad historiam excolendam Ingolstadienses studiosos incitat, his verbis utitur : « magno vobis ducite pudori Græcorum et Latino-« rum nescire historias, » properansque ea addidit : « super omnem « impudentiam regionis nostræ et terræ nescire situm, sidera, flu-« mina, montes, antiquitates, nationes denique (6). » Ea propter Germaniæ majestatem sollicitudo in Celte merito laudanda est; in

1. Reipsâ huic libello inscriptum est : « *Conradi Celtis Panegyris ad duces Bavariæ* ». Loci et temporis mentio deest. Paginæ numero carent.
2. Ea scilicet verba Panegyrico, protinus ab dedicatoriis carminibus, inscripta sunt.
3. « Nunc redeo ad vos, generosi adolescentes... » (*Panegyris*...)
4. *Ibid.*
5. *Ibid.*
6. *Panegyris.*

Panegyrico Germaniæ laudes celebrantur, de quâ scripserit « justum in ipsam Italiam ab illâ imperium habitum fuisse. » Hâc eâdem mente poema composuit Celtis « *de Germaniæ situ et moribus* (1) » et Hroswithæ carmen in lucem edidit.

Quum Ingolstadii ageret, « *Epitome in utramque Ciceronis* « *Rhetoricam, cum arte memorativâ et modo epistolandi utilissimo* » Celtis edidit, Maximilianoque Romanorum regi dedicavit (2), nihil aliud quam Rhetoricæ Enchiridion, ex Ciceronis operibus haud sine arte expressum, etsi Ciceronis ipsius verba sæpissime retulerit et « pœne totius orationis ejus filum (3), » se ipso teste fuerit secutus.

Eo tamen majore auctoritate in ipsâ Academiâ valebat Celtis quo se minus intra Academiæ muros continebat. Auctor enim fuit illarum poetarum Societatum, quarum numerus paulatim mirum in modum creverit, « hujusque operâ nata est Sodalitas illa Rhe- « nana et Danubiana (4) » quâ in unum humanismi fautores e Rheno ad Danubium congregarentur. Perpauca quidem de illis Sodalitatibus accepimus : plerumque proceribus, tanquam patronis, utebantur : anno enim 1502, a Philomuso constat duas fabulas « Georgio von Sinzenhofen Sodalitatis patrono primario (5) » fuisse dedicatas. Non dubium est quin de Sodalitate a Celte constitutâ hic agatur.

Etsi tamen a Medero Societas Rhenana et Danubiana Sodalitas

1. Editum in collectaneis quibus inscribitur : « *Schardius redivivus, sive Rerum German. scriptores.* 1673 », p. 226. Hoc poematium (3 p. in-fol.) nullo merito, præter pium auctoris in patriam animum, commendabile est.
Idem scilicet Germanicæ patriæ studium apud omnes illius ætatis eximios scriptores deprehendas; nec alio impulsu edidit Melanchtho : « *Vocabula Regionum et gentium quæ recensentur in hoc libello Taciti* ». Ap. *Schardium*, p. 77.

2. Epistola dedicatoria Ingolstadii a. d. V. Kal. Apr. an. 1492 data est. Notatione dignum est, totâ illâ ætate, Maximilianum, etsi regem modo Romanorum, pro unico scribentium patrono ab omnibus haberi. Testis est an. 1492 Celtis, qui, etsi Ingolstadii, intrà fines Ducatûs Bavariæ, commorabatur, suum *Epitome* « *Sacratissimo principi Divo Maximiliano Rhomano Regi* » dicavit, et in dedicatoriâ epistolâ hæc verba usurpavit : « *Vale, rex victoriosissime, et, ut soles, bonis litteris fave.* »

3. *Vide Epistol. Dedicator.*

4. Mederer. 1498, I, 53.

5. Peter Paul Finauer's *Versuch einer Baierischen gelehrten Geschichte.* 1767, in-4°, p. 93.

in unum misceri videntur, utramque separatam fuisse in confesso est (1). Heidelbergensis Academiæ professoribus Dalbergo, Trithemio, Wimpfelingo sociis consilii assumptis, Rhenanam Societatem Celtis constituit; eamque ob causam iter Heidelbergam exeunte xv sæculo fecit, ibique paulisper est commoratus. Omni cogitatione in Romanas antiquitates istis Sodalitatibus adscripti viri incumbebant, incorruptæque latini sermonis integritati, metricæ arti, mathematicis etiam, astronomiæ, musicæque operam dabant. Sodalitatum auxilio citius in superiorem Germaniam influxere humaniores litteræ (2).

Sex annos Ingolstadii Celtis commoratus est. Ea tamen erat viri auctoritas ut, anno 1494, Professor Ordinarius humanitatis pronunciaretur, et publica stipendia acciperet.

Deinceps, anno 1501, quum Viennam, regnante Maximiliano Imperatore, cuncta vergerent, quumque principis liberalitate, doctissimi totius Germaniæ viri ibi agerent (3), Viennæ « lector ordi- « narius poetices ac oratoriæ ad Universitatem » est constitutus (4), et Maximiliani indulto, quasi nova Facultas, Poeticum Collegium, Celtis auspiciis Viennæ fundata est.

Celtis ergo, Polyhistoris illius (5), nomine eâ ætate Artistica Ingolstadiensis Academiæ Facultas illustrata est, illoque duce humaniorum litterarum viam ingressa. Nec tamen forsan ex ætatum ordine, primus Ingolstadii Celtis novam studiorum rationem adhibuerat : anno enim 1489, 15 die Junii, in diario Artisticæ Facultatis *Jacobum Locherum* inscriptum invenimus. Discendi docendive causâ Locherus Ingolstadium venerit, incertum est. Eo tamen adducimur ut credamus eum jam anno 1489 Magistri partes gessisse. Etsi enim perpauca de Lochero accepimus, illum tamen

1. Haüsser. *Die Anfänge... u. s. w.*, p. 24. — In principio libri Odarum Celtis, Viennæ an. 1513 editi, brevem de vitâ illius commemorationem invenias. — « *C. Celtis Vita, per Sodalitatem litterariam Rhenanam.* »

2. Istiusmodi Sodalitates plures fieri cœperunt, ab Argentorato, et Ratisponâ ad Wittembergam.

3. M. Adamus. *Vita Aventini*, p. 76.

4. « *Indultum Maximiliani* ». 31 octob. 1501. — V. Mitterdorfer, I, 64-66. — Meiners, I, 197.

5. Una cum Erasmo, Celtis ipse *Polyhistor* dictus est.

Friburgæ et Basileæ (1) poeticam eloquentiamque professum fuisse constat, antequam in Celtis locum succederet. Poeta et ipse laureatus exstitit (2), et forsan ab ipso Celte laureâ fuit coronatus, interque socios Sodalitatis Rhenanæ annumeratus est.

Cognomen illud *Philomusus*, quo unice nuncupatus est, argumentum est qualis ab æqualibus suis poeta fuerit habitus. Ingolstadii sine ullâ intermissione, eo usque donec mortuus (3) sit, professus est.

Locherus profecto inter eos professores locum obtinere debet, qui plurima opuscula ediderint (4); nec tamen tot libelli ejusdem omnes pretii sunt. Primas tenent, propter novitatem rei, tres illæ fabulæ ab illo Ingolstadii editæ.

Jam anno 1497, Idibus Maiis in Gymnasio Friburgensi a semetipso confictam « *Tragediam de Thurcis et Suldano* » Locherus egerat (5). Hoc Turcarum terrore, quoad vixit, sollicitatus (6), duas de Turcis fabulas, annoque 1521, contra Turcas « *Exhortationem heroïcam* » composuit. In illo fabularum genere, etsi in præfatione se « inusitatum Allemannis nostris scriptitandi genus « aperuisse (7) » Locherus profitetur, nihil laude dignum reperias (8). Non ergo initium in fabulis Locherus faciebat, quum Ingolstadii hæc « dramata » ederet :

1° « Ludicrum drama : Plautino more factum a Jacobo Locher

1. Finauer, p. 89.
2. In fronte suorum librorum solet Celtis effingi eodem, quo pagii, habitu et ingenti hederâ redimitus.
3. Proprius est fidem Celtem an. 1523 decessisse.
4. Tot operum indice octo paginæ apud Finauerum implentur.
5. Loci et temporis mentio deest. Libello inscribitur : « *Libri Philomusi Panegyrici ad Regem, Tragedia de Thurcis et Suldano, Dyalog. de heresiarchis.* »
6. Iterum de Turcis in *Panegyrico* mentio fit : « *Sistit pedem pessimus latro Bajazetus* ». Hæc verba ad prælium prope Nicopolim spectant.
7. « *In tragici ludi spectaculo prefatio.* »
8. Id opusculum, partim solutâ oratione, partim versibus scriptum, prope nullius momenti est. Chori partes, quibus actus singuli absolvuntur, solæ carminis modo inclusæ sunt. — Jactantiorem auctoris eruditionem immoderata personarum soliloquia testantur. Fidem facient hæc dramatis argumenta : Actus I. Continet Fidei querimoniam lamentaque tristia adversus gentes. — Actus III. Cæsar et Christianorum principum legatus de bello in *Thurcos* et Gentiles consultant. — Actus IV. Decretum bellicum et consultationes Thurci et Suldani ». — In fine, ingens Triumphus.

« Philomuso. De sene amatore, filio corrupto et dotatâ muliere. »

2° « Spectaculum a Jacobo Locher Philomuso more tragico effigiàtum, in quo Christianissimi reges adversum truculentissimos Turcas consilium ineunt, expeditionemque bellicam instituunt, inibi salubris pro fide tuendâ exhortatio. »

3° « Ejusdem Judicium Paridis de pomo aureo, et triplici hominum vitâ, de tribus Deabus quæ nobis vitam contemplativam, activam et voluptuariam representant, et quæ illarum sit melior tutiorque. »

— Propter argumenti genus, fieri non poterat quin Plautina fabula in Academiâ ageretur; sed alia utraque Ingolstadii acta est, altera 5 die Februarii, altera 14 die Junii 1502(1). Philomusus ipse in « spectaculo..... » personam egit. Personæ aliæ a studiosis, plerumque e nobili genere ortis, susceptæ fuerunt, et quamvis Finauerus de hoc sileat, res in dubium vocari non potest, quum pleraque juvenum illorum nomina, quæ Finauerus ipse retulerit, inter nobiles inscriptos annis 1496, 1497, 1499, 1501 inveniamus. Ergo intra Academiæ muros, studiosorum operâ, et quasi ut novæ studiorum rationi præclarius adderetur decus, solennis ista fabularum celebratio habita est.

Nec sine multorum invidiâ ea se res habuit. Si quis enim Ingolstadienses Annales evolverit, manifestum erit Locheri nomen haud magis poeticâ et professoriâ laude quam propter acerrima cum Theologis certamina fuisse insigne. Theologorum partes egit grandævus sacerdos *Georgius Zingelius*. Id sibi Zingelius assumebat ut studiosis, non antiquorum poetarum libri, sed Prudentii tantum, Baptistæque Mantuani et « gregalium » opera permitterentur. Nec erat Ingolstadii Zingelius unus e vulgo, quippe qui in Collegio novo duo stipendia instituisset (2) Universitatisque procancellarius esset, is scilicet cui fidei integritas servanda committeretur. Eoque simultates exarserunt ut in Satyrâ Zingelium Locherus reprehenderit quod « divum Thomam aliosque id genus suæ professionis doc-
« tores Zingelius contempsisset, poetas vanissimos, philosophos
« venenosos, jurisconsultos rabulas et legum venditores, medicos

1. Finauer, p. 92.
2. *Annal.*, I, 78.

« autem sicarios vocâsset; sex et sexaginta viros armis instructos « in suam Locheri cædem et calamitatem armavisset (1). »

Nec erant ea inter Theologos novosque professores discidia improvisa : jamdiu enim molestissime tulerat Celtis « publice in sacris « ædibus vulgo in odium suî prædicari, nihil a religione christianâ « profanius esse quam poetas legisse et audivisse (2). » In duas ergo partes divisa est Academia, et de « Zingolensi factione (3) » graviter queritur Locherus. Ad extremum Zingelii partes cesserunt; et poesis eloquentiaque quasi civitate in Academiâ condonatæ sunt. Haud minus enim Ciceroni quam Horatio se totum dicaverat Locherus « *Compendiumque Rhetorices* (4) » quasi materiam lectionibus suis suppeditaturum ediderat. « *Oratorem* Ciceronis « studiosissimis auditoribus, non sine magno labore » ab illo fuisse explanatum constat (5). Operæ pretium est Celtis et Locheri Rhetorices Compendia inter se conferre : nihil Locheri Enchiridio potest esse nudius : omnia in partes diducta sunt, in species artificiose secata; nec arte ullâ aut sermonis elegantiâ hæc inopia repensatur. Oratorium quoddam in Celtis opusculo sentias; nihil autem nisi technicum apud Locherum reperias (6).

Seu propter insitam indoli suæ iracundiam, seu quia auditorum favore innitebatur, suo omnino arbitratu Locherus in Academiâ agebat, nec statutis, occasione omni, obtemperabat. Anno 1506 mulctâ 2 florenorum consilio Universitatis damnatus est, quod « spreto « senatûs mandato et contra observatam hactenus consuetudinem, « pulsu campanæ ad lectiones suas signum dedisset (7). »

1. Mederer, I, 78.

2. Celtis *Panegyris* ad Maximilianum. — Ut mitioribus verbis temperaret animos, libellum Celtis edidit : « *Parnassus biceps, in quo poetas et Theologos conciliat.* »

3. « *Jacob. Locheri, Suevi, in anticategoriam Rectoris cujusdam et conciliabuli Ingolstadiensis.* »

4. Eodem tempore quo « *Horatii Flacci Venusini... opera, cum quibusdam annotationibus, etc.*, » Locherus edidit « *Compendium Rhetorices ex Tulliano thesauro deductum et concionatum per Jac. Locherum Philomusum, oratoriæ professorem*, 1513.)

5. *Compendii præfatio.*

6. Opusculum (5 pag.) cui inscribitur : « *Aptissima syntaxis de componendâ oratione funebri* », jejunum minus et exquisitius est.

7. Mederer, I, 72. Etsi cum Zingelio contenderet, Theologiam quoque Locherus aggressus est, et Ingolstadii commentationem hanc, magnificam

Quâvis tamen gratiâ in dies studia nova plerique amplecterentur, juxta Academiam potius quam in ipsâ Academiâ humaniorum litterarum professores plures fieri cœperunt.

Ab anno 1498 ad 1515, nulli alii inter *novos professores* nisi Theologiæ, Juris, Medicinæve professores reperiuntur. Anno tantum 1515, *Johannes Peirlein,* magister Artium, Græcæ litteraturæ professor novus apparet. Jam tamen, multo notatione dignius, anno 1505, *Johannes Boschensteiner*, linguæ Hebraicæ professor fuerat inscriptus (1). Illius auspiciis Hebraica lingua in Ingolstadiensi academiâ inter solita studia locum obtinuit.

Nec vere forsan ex inscriptorum numero conjectari potest quo in processu humaniores essent litteræ. Haud semel enim inter eos qui extra professorum collegium Ingolstadii legerint, virorum nomina suâ ætate haud ignobilium nobis occurrunt. Anno enim 1507 fuit per litteras Ingolstadium advocatus *Aventinus* (2), olim in eâdem Academiâ studiosus, qui quum Lutetiam invisisset, ubi septem Artium magisterii dignitatem adeptus est, privatus magister Viennæ et Cracoviæ docuerat. Anno 1507 Ingolstadium migravit, ibique *Somnium Scipionis, Rhetoricamque Ciceronis ad Herennium* prælegit. Tunc humanioribus litteris totus deditus, nondum componendos annales aggressus erat; « cum musis versabatur, maxime « cum Horatianis Carminibus, quæ a sumpto cibo scite decan- « tabat (3). »

Etsi non diu Ingolstadii moratus est, dignus est Aventinus qui in Academiæ annalibus locum obtineat; quippe qui circa annum 1516, ad exemplum Conradi Celtis, Societatem novam litterariam, « Sodalitatem scilicet Angilostadiensem (4) » condiderit. Societas illa quæ, ab initio, principe patrono *Leonardo ab Eck* usus est, e multis Facultatis Artisticæ professoribus constitit, ejusdemque Facultatis diario compertum est cum illis necessitate conjunctum fuisse

quidem et levem edidit : *Theologica Emphasis, sive Dialogus super eminentiâ quatuor doctorum Ecclesiæ, Gregorii, Hieronimi, Augustini, Ambrosii, cum* 600 *versibus*. 1496.

1. *Annal.*, I, 68.

2. *Vita Johannis Aventini.* In principio operum J. Aventini, ed. Grundlingius. In-fol. Lipsiæ, 1710.

3. *Ibid.*

4. Ea verba in litteris ab ipso Aventino an. 1517 datis invenias.

Aventinum. Imo Aventinum constat eâ auctoritate, quâ apud Ernestum principem valeret, usum esse, ut nova Bursa pro duobus Magistris, Bursa scilicet *Liliorum,* constitueretur. In eâ potissimum Bursâ haud semel litterariæ Societati adscripti Sodales convenerunt, ibique plurima Sodalium opera ab initiis data sunt (1).

Nihilominus multum aberat ut cum superioris Germaniæ Academiis Ingolstadiense studium contenderet : Friburgensis enim, Heidelbergensis, Coloniensis, Moguntiaca etiam Academiæ longe Ingolstadiensem præoccupaverant, multoque majore auditorum et professorum concursu erant insignes (2). Ingolstadii autem nihil omittebatur ut pari honore Bavaria illustraretur. Anno enim 1515 a Guillelmo duce Ingolstadium quatuor legati missi sunt « inter « quos L. Eckius Aventinusque numerabantur (3) » a quibus, « etsi « negotii causa non manifeste denuntiata est, » Academiæ leges studiorumque ratio in melius immutarentur. Sequenti igitur anno, quum ad id tempus in Philosophicâ Facultate Aristoteles tantum et Petrus Hispanus legerentur, *Johanni Eckio* munus commissum est « in utrumque illum auctorem commentarios » scribendi « qui « deinceps publice explicarentur. » Jussum est ut hæc opuscula Academiæ impensis excuderentur.

Guillelmi autem Ducis sollicitudo clarius innotuit. Eodem anno, 1516, jussit ab *Urbano Rhegio* litteras mitti quibus *Desiderio Erasmo* ducenti aurei (4) in annos singulos et opulentissima sacerdotia offerrentur; adeoque in totam Germaniam Ducum Bavariæ liberalitatis opinio vulgata erat ut ad Johannem Fabrum Rhegius de Erasmo scriberet : « Credo equidem te non latere quanto amore et benigni- « tate plus quam paternâ Dux Hernestus..... Gymnasium nostrum « Angelopolitanum confoveat, excolat, ditet, suæque præsentiæ « splendore illustret..... utque ei sit in animo doctissimos passim, « ubi ubi in Germaniâ fuerint, conducere suâque liberalitate exor-

1. Mederer, I, 99. — Lippertus. *Dissertatio Academica de Sodalitatibus litterariis in Boariâ.* Oder : *Revisionsrath Lippert : Nachricht von den ehemaligen gelehrten Gesellschaften.*

2. Raumer. *Geschichte der Pædagogik,* IV, 35. — Haüsser. *Die Anfänge... u. s. w.*

3. Mederer, I, 99.

4. *Epistola Erasmi ad Johannem, episc. Roffensem. Epist.*, 256, ed. Lugduni Batavorum. 1703.

« nare (1)..... » Medio Johanne Fabro, Rhegius, jubente Bavariæ Duce, Erasmo conditiones dedit (2). Expoposcit Dux primum « an « aliquâ ratione Erasmus, polyhistor ille, magnus litterarum an-« tistes possit induci (3). » Hoc sibi Dux proposuerat ut Erasmum ad ordinariæ professionis non respuendum munus induceret (4). Nec satis habuit duas litteras per Rhegium missas fuisse ; privatum misit Basileam legatum, a quo Erasmus saltem ad invisendam Ingolstadii Academiam sollicitaretur (5) : tantoque id in honore habebatur, si, vel paucos dies Ingolstadii Erasmus commoraretur, ut magnificis muneribus invitatus fuerit. Quum eo tempore in summam gloriam Erasmus venisset, Ducis Bavariæ conditionibus non usus est, sextoque Calendas Martii, se excusans, dixit se illustrissimo principi Carolo esse addictum (6) : quumque, nisi ad inhabitandum, saltem ad invisendum Ingolstadium fuisset invitatus, « salutandi principis causâ, qui mire averet videre ipsum atque « etiam complecti, » respondit Erasmus, se talem principem Germaniæ gratulari..... Nonis martiis, alteris litteris, commendat Erasmus Henricum Glareanum laureâ Cæsareâ insignem.

Attamen quum oblata dedignaretur Erasmus, *Reuchlino* in Academiâ docente Bavariæ Dux gloriatus est (7). Quas ob causas e Tubingâ Ingolstadium Reuchlinus migraverit incertum est. Ex aliorum sententiâ, in bello Wirtembergico captus, Ingolstadium Reuchlinus adductus est : omnia erepta bona recuperavit, et annuo ducentorum florenorum (8) stipendio fuit condonatus. Aliis autem

1. *Epistola prior Rhegii ad Joh. Fabrum.* Opera Erasmi. Edit. Lugduni Batavorum, in-fol., 1703, tom. III. *Pars I. Ep.* 229.
2. *Epist. Posterior. Ep.* 230. *Ibid.*
3. *Epist. prior. Ep.* 229.
4. *Ibid.*
5. *Epist. poster. Rhegii. —Ep. Erasmi ad Episc. Johannem.*
6. Mederer, I, p. 101.
7. De Reuchlino Celtis ita sensit :

Qui tribus linguis super eruditus
. . . .
. . . . . .
Omnem memorans Sophiam,
Quidquid invenit Latialis, Argus
Et quid Hebreus.

Odar. Lib. III, 24.

8. Brucker. *Hist. crit. Philosoph.*, IV, pars. I.

si fides adhibenda est, suâ voluntate se Ingolstadium Reuchlinus recepit, ibique illi, quam soliti erant in Italiâ xv sæculo humaniorum litterarum professores obtinere, fortuna contigit (1).

Non inter ordinarios Academiæ professores habitus est, nec illius nomen inter novorum professorum nomina est inscriptum. Quasi singulari munere affectus, publicâ, ut videtur, mercede a Duce conductus, pretio ab auditoribus suis soluto, eminentem locum erat Reuchlinus assecutus. Anno 1519, Academiæ Ingolstadiensi fuit adscriptus, nec tamen lectionum publicarum ante Martium mensem, insequente anno, initium fecit (2). Ex actis a Medero laudatis (3) constat Reuchlinum quotidie Hebraïcam et Græcam linguam docuisse, lectionesque ejus in collegio vetere et in auditorio latissimo fuisse habitas. « Haud enim raro plus quam trecenti Acade- « mici ad eum audiendum confluxerunt » (4) : in matutinâ lectione, librum Rabbi Mosis Kimchi, in pomeridianâ Aristophanis Plutum grammaticamque Græcam explicabat.

Eâ scilicet ætate quum Ingolstadii Reuchlinus ageret, propter novas res de religione tractatas multo majoris quam ante Hebraïca lingua erat momenti; iique quorum labefactam religionem tuendi munus erat, in hâc tantum Hebraïcæ linguæ comparatione elaboraverunt, ut Eckius, qui quum quoad Ingolstadii Reuchlinus moratus est, vicino illo uteretur, assidue illum audierit (5).

Nec minus *Nicolas Appel*, novus doctor anno 1522 inscriptus, Eckii ad Lutheri novitates impugnandas adjutor, quum intelligeret

1. G. Voigt. *Die Wiederbelebung des Classischen Alterthums, oder das erste Jahrhundert des Humanismus*. In-8, Berlin, 1859.

2. Mederer, I, p. 112.

3. « Promissio instituendarum linguarum Ingolstadii. — Reuchlinus Phorcensis... ex ærario publico nobili stipendio conductus... »

4. Mederer, I, 110.— Epistolâ ad Joh. Forsterum Augustanum, Philos. magistrum, die xi april. 1521 datâ, de insigni illo audientium concursu loquitur Reuchlinus : « Quam molesta mihi res est a tuo et aliorum studiosissimorum auditorum numero præsentiâ recedere. Quum enim, in tantâ tam Hebraïcæ quam Græcæ linguæ discipulorum frequentiâ..... — Johann Reuchlins Briefwechsel. Ed. Geiger, 1875.

5. *Epist. J. Eckii ad Episc. Eystettensem Mauritium : « De Ratione studiorum suorum »*. Eckio teste, accepimus Reuchlinum tum elaborâsse ut « manu suâ Grammaticam Kimchi exemplar impressum emendaret » Posterius, regnantibus Leone X et Adriano VI, diu Romæ Eckius moratus est, et Heliâ levitâ converso ex Judæis Germano magistro usus, se ad Hebraïcam linguam iterum applicavit. (*Ibid.*

« quantopere linguarum cognitio ad solidam eruditionem, tum vero « sacrarum litterarum cognitionem et interpretationem require- « retur, » (1) Reuchlino magistro usus, Græcam Hebraïcamque linguam didicit; jamque ætate provectus, magistri simul et discipuli gessit partes.

Nec tamen Ingolstadii sperata commoda Reuchlinus adeptus est. Ut ex illius ad *Willibaldum Pirkhaimerum* litteris liquet (2), plus quam mediocre lucrum ibi faciebat. Igitur seu propter rerum inopiam, seu propter pestilentiam quâ anno 1521 Ingolstadium laboravit, eo scilicet anno locum mutavit.

Reuchlini nomen illiusque circa eam ætatem auctoritas quasi indicio esse potest quâ paulatim inter se Theologiæ et humaniorum litterarum partes societate junctæ fuerint. Post Zingelii Locherique lites, minus in dies inter duas partes certamen evaserat, crescentique Lutheranorum audaciâ, ad studia diutius neglecta inviti Theologi sunt adducti.

Nuper enim ad summum discrimen Theologica Facultas venerat. Perpauci in sacris litteris diligentiam adhibebant, quumque anno 1508 *Johannes Pluëml*, doctor Theologiæ, ab Ingolstadio subito recessisset, Facultas Theologica, deficientibus professoribus, « desiit « in Universitate Ingolstadiensi » (3). Itaque quamvis Baccalaureatu modo ornaretur, *Johanni Petterdorfio* omnia ad Facultatem Theologicam pertinentia commissa sunt. Lectiones Petterdorfius habuit Theologicas, et « ipso volente principe » in Senatum Universitatis admissus est.

Quanto autem negotio professor ordinarius Theologiæ fuerit adscriptus, haud supervacaneum est memorare. Conditionibus jam datis, ante consilium Universitatis adfuit *Haiswasserius*, petiitque « ut sibi in annos singulos ducenti floreni penderentur, expensæ « omnes in gradum doctoralem atque in transvehendas res suas « faciendæ refarcirentur, utque habitatio Zwingelii sibi assigna- « retur » (4).

Re ad Ducem devocatâ, Haiswasserii conditiones rejectæ sunt.

1. Rotmar., I, 115.
2. « Fugi pestem, fugi gladium, utinam effugissem famem ». *Epist Reuchlini ad Willibaldum Pirkhaimerum.* Die XXI decemb. 1519.
3. Mederer, I, 78.
4. Mederer, I, 79.

Tunc respexerunt ad duos exteros prædicatores Academici : neutri venire placuit. Quumque ipse Philomusus Tubingam legatus missus esset, qui professorem Theologiæ Ingolstadium deduceret, inane cœptum evasit. Annus ergo 1508 totus præteriit in Theologicâ Facultate cunctis cessantibus officiis ; nec ante res confirmatæ sunt quam, exeunte anno 1509, Petterdorfius insignia doctoralia Ferrariæ impetraret, alterque Viennensis doctor, Provincialis ordinis Carmelitarum per superiorem Germaniam professor Ingolstadium tandem migraret.

II

De animorum et studiorum, apud Ingolstadiensem Academiam, propter Reformatam a Lutheranis religionem, discrimine.

In eo tamen erat Theologica Facultas, etsi in magnâ desperatione esse videretur, ut in summam notitiam mox perveniret. Anno enim 1510, primum inscriptus est *Johannes Eckius*, et creatus est doctor, et, 5 die novembris, solenne lectionum suarum principium fecit.

Natus in Algoiâ, anno 1486, Eckius, postquam Rottenburgæ et Tubingæ liberales artes didicisset, Heidelbergæ Artium magister, anno 1501, creatus, Coloniæ, Friburgæ, denique Ingolstadii, anno 1510, docuit. Retulit ipse iterato Eckius, prope jam extremâ ætate, quemadmodum se Ingolstadium contulerit, et, levi diversitate omissâ, eadem est rei memoria. Quum seu « casu (1) » seu « celebre Gymnasium Ingolstadii invisendi (2) » causâ, Tubingam deseruisset, sive a « moderatoribus apud quos fama disputationum « ejus inclaruerat (3), » invitatus est; sive ipse « a præsidibus studii impetravit ut ad disputandum admitteretur (4), » publicam disputationem die 7ª septembris 1510 habuit, totâque die disseruit. Sequenti autem die, coram congregatâ plebe declamavit. Tantum commendationis seu apud senatum Academicum, seu apud « cives (5) » habuit, ut, declarante ipso Eckio, etsi nullam ex eventu utilitatem quæreret « confestimque abiisset (6)..... motu

1. *Epistola Joh. Eckii Theologi, de Ratione studiorum suorum. Scripta an* 1538. *Nunc vero primum edita. Ingolstadii*, 1543. *Ad Mauritium Eystettensem Episc.*
2. « *Replica Joh. Eccii adversus scripta secunda Buceri apostatæ super actis Ratisponæ* ». 1543.
3. *Epistola de Ratione studiorum*. Vid. supra.
4. *Replica*.
5. *Replica*.
6. *Replica*.

« proprio Academici operam apud principem interponerent, ut « lecturæ Theologicæ statim Eckius præficeretur (1); » quod mense novembri eodem anno ei contigit. Novem annos se totum ad docendum contulit. Anno 1515 Boloniensem Viennensemque Academiam invisit, jamque eo illius auctoritas increverat, ut jam anno 1511 decanus Theologicæ Facultatis, anno 1512 Rector renuntiaretur et, defuncto Zingelio, Procancellarii canonicique cathedralis Eistettensis munere condonaretur. Anno 1517 priori anni parte Prorector, posteriorique Rector, inter amplissimos ex Academiâ viros locum jam obtinuerat quum primum novas res Lutherus aggressus est, et, vel extra Ingolstadiensem Academiam, dissertationes ejus orationesque solebant inquiri : a Rhegio enim Johanni Fabro « aliquot Eckii nostri orationes (2) » diligentissime missas fuisse accepimus. Vel in remotissimis Academiis nomen sibi fecerat : antequam enim ambo graviter dissentirent, de Eckio Lutherus scripserat : « Insignis veræque ingeniosæ eruditionis et eru- « diti ingenii homo, — vir jam celebris, etiam libris invulgatus (3). » Fuit etiam inter eos magna familiaritas, de quâ Lutherus ipse testatus est (4). Cum Carlostadio etiam consuetudinem Eckius habuit : quippe qui, litteris die 28 maii 1518 datis, scriberet : « Vene- « rando viro Andreæ Carlostadio, amico suo, si ita patiatur, non « vulgari, tuissimus Eckius. » Se igitur Eckius sic habebat, magnâ rerum ad religionem pertinentium perturbatione impendente. Tantum autem in Theologicâ Ingolstadiensi Facultate catholicorumque partibus moderandis momentum habuit, ut quibus stimulis ad decertandum impulsus fuerit diligenter investigare operæ pretium sit.

Refert M. Adamus (5), ab Eckio, antequam res ad Papam fuisset devocata, « quumque Hieronymo Ecclesiæ Brandeburgensi epi- « scopo theses suas Lutherus » approbaret, Lutheri conclusiones, *Obeliscis* editis, fuisse oppugnatas.

1. *Replica.*
2. *Epist.*, 230. Ap. Opera Erasmi. Ed. Lugduni Batavorum, in-fol. 1703, tom. III, pars I.
3. *Epist. Lutheri ad Joh. Silvium Egranum.* 24 mart. 1518. Op. Lutheri. Edid. Dr Henricus Schmidt. Francfurt u. Erlangen, 1865.
4. « Mihi magnâ recenterque contractâ amicitiâ conjunctus ». *Epist.* d. 24 mart. 1518 data.
5. *Vita Lutheri*, p. 107.

Circa initia anni 1518, Lutheri conclusionibus « theses triginta » opposuit Eckius. Si ipsi Eckio fides est adhibenda, rogatu Eistettensis Episcopi, (1) omnique ea in publico proponendi consilio amoto, scripserat Eckius. Professus est semetipsum in nullo nænias illas posuisse discrimine, præsertim quum arbitraretur eas « doctorum hominum judicium nunquam subituras (2); » nec suâ culpâ accidisse ut pervulgati fuissent Obelisci (3). Negat sibi in animo fuisse ut Lutherum læderet, nec se assequi posse quâ viâ illud opus « confestim et tumultuarie effusum » « elapsum sit e « manibus episcopi (4). »

Attamen quamvis ab initio non fuissent pervulgati Obelisci, et de manu modo in manum circumferrentur, res in omnium sermones rapide cessit, et injuriam Lutherus eo ægrius tulit quod non Eckii amicitiam pro nihilo putaret (5). Hâc primum mente fuerat Lutherus ut nihil contra responderet (6); sed eum amici ut refutaret coegerunt. Scriptis quidem ad Carlostadium litteris, dederat Eckius operam ut contentionibus istis occurreret; quum autem serius istæ allatæ fuissent litteræ, die 9 maii 1518, Eckii pronuntiatis apologeticas conclusiones Carlostadius opposuerat, easque pro consuetudine proposuerat, ut publice de his disputari posset. Mensibus aliquot exactis (Augusto mense 1518), Lutheri *Asterici* Lipsiæ typis mandati sunt (7). Eodem jam anno apparet quemadmodum utriusque adversariorum vestigia servantes, Wittembergensis Ingolstadiensisque Academiæ dissideant; nec falso Heidelbergæ anno

1. In *Catalogo Episcoporum Eystettensium*, quem edidit Jac. Gretserus (Ingolstadii, 1617) nulla fit mentio de consuetudine inter Gabrielem Episcopum (1496-1535) et Eckium factâ; nec licet ideo Eckii dicta approbare.

2. *Epist. Eckii ad Carlostatinum* (*sic*)... « amicum suum, si ita patiatur, non vulgarem... » d. 28 maii 1518, data.

3. « Quæ contra insontem Eckium meditamini ». (*Ibid.*)

4. *Ibid.*

5. « Mirarer quo furore ille amicitias recentissimas atque jucundissimas solverit...). *Epist. Lutheri ad Egranum.* 24 mart. 1518.

6. « Volui hanc offam Cerbero dignam absorbere patientia ». (*Ibid.*)

Multa in Obeliscis aspere, rustice et vehementius dicta sunt Verba stiusmodi « virulentus, aut vinolentus—Bohemus—Hæreticus, seditiosus, procax... » ad Lutherum spectantia, haud raro occurrunt.

7. *Asterici* posterius producti sunt. In primâ operum Lutheri editione. Basileæ an. 1519 datâ, desunt.

1518 Lutherus professus est, quum disputationem in claustro Augustinianorum de Justificatione fidei habuerit, « omnes constanter « doctores Wittembergæ cum semetipso sentire : imo totam Uni« versitatem (1). »

Attamen plura fiebant in dies colloquia et disputationes. Publicum illud munus quod contra Lutherum, nec sine ingenti laude, suscipiendum erat, Eckio placuit; utque « rixarum finis esset (2) » Luthero occasionem disputandi ipse obtulit. Lutherus Lipsiæ locum constituit ubi disputaretur (3). Nihil in perpetuis Lutheri et Eckii contentionibus hâc Lipsiensi disputatione antiquius est. Vix est credendum Eckium in spem venisse ut Lutherum a novitate hæreseos revocaret; occasione tantum utebatur primum inter eos locum assequendi qui papatum tuerentur; nec forsan gratuito pontificis Romani partes acriter adeo amplexus est.

Postquam Carlostadius, Lutherus et Melanchtho Lipsiam convenerant, præsente Barnino, Pomeraniæ Duce, qui eâ ætate magistratum scolasticum Wittembergæ gerebat (4), fuit disputatum.

Ex M. Adamo, dederat Lutherus Georgio Duci fidem se Lipsiæ non disputatoris, sed spectatoris modo partes fore acturum. Igitur cum Carlostadio, die 27 Junii, de *libero arbitrio* congressus est Eckius, diesque octo disputavit. Quum autem cum istiusmodi adversario in jurgium ire parum curaret, cumque principe ipso hostilium partium se commissum magnopere vellet, Lutherum Eckius in hospitium adiit, declaravitque se Lipsiam nullam ob aliam causam venisse quam ut cum Luthero ipso disputaret (5), negavitque se cum Carlostadio diutius controversiam facturum. Objectante autem Luthero quia necessitate ipse quominus disputaret prohiberetur, professus est Eckius se a Georgio Duce disputandi veniam impetraturum fore, dum quidem ne Lutherus recusaret. Mox data est Luthero quoque fides publica et facta est copiæ disputandi. Ar-

1. M. Adamus. — *Vita Lutheri.* — *V.:* T. Wiedemann. *Dr Johann Eck, professor in Ingolstadt.* Monographie, *in*-8°. Regensburg, 1865.

2. *Epistola Joh. Eckii Theologi, de ratione studiorum suorum. Scripta an.* 1538, *nunc vero primum edita. Ingolstadii,* 1543.

3. Rem posterius Lutherus præcise negavit. Eckius contra contendit se in manibus ipsam Lutheri epistolam habere. « Contra syngrapham, quam adhuc habes », *Epist.*, 1538.

4. M. Adamus, p. 111.

5. « Propter te huc veni ». Adamus, p. 111.

gumenta enim omnia de quibus antea tractatum fuerat (de libero arbitrio — de Indulgentiis) quasi prætermissa fuerunt, eoque Eckius omnem diligentiam adhibuit ut illud a Luthero propositum in controversiam deductum in lucem proferret : « Papam esse Jure Divino caput Ecclesiæ. » Eckio a Lutheri fautoribus vitio datum est quod pontifici summo adulandi causam ita confinxisset, et contra Lutherum odium invidiamque omnium excitâsset.

Die 15 Julii disputatio soluta est; quamvis in disputando plurimum Lutherus elaborâsset, Carlostadii Melanchthonisque operâ haud incassum usus erat. Quumque identidem Melanchtho Eckium interrogâsset aut confutâsset, his verbis Eckius in illum invectus est : « Tace, tu Philippe, ac tua studia cura; ne me perturba (1). » Disputando igitur odium exacerbatum est, Melanchthoque litteras dedit quibus Eckium haud parce læserit, dieque 25 Julii 1519, *Excusationem* Eckius edidit (2) quâ Melanchthonis injurias propulsaret. Uno consensu, per Saxoniæ Ducis et Universitatis Lipsiensis consiliarios (3), decretum erat nihil de Lipsiensi disputatione tamdiu fore publicandum dum non dijudicatum esset a quo « fidei Christianæ consentanea aut pugnantia dicta fuissent (4). » Invicem se utriusque sectæ fautores incusârunt quod non pacto stetissent. Exinde acerbius in dies certamen evasit; ut « Excusationem » Eckii redargueret, anno 1519, litteras Wittembergæ (5) et articulatim distributam refutationem Lutherus dedit (6) : « Hæc autem, lector, « tractavi non curiose; longe plura inventurus, si Eccii et fratrum « more, ad vivam, ut dicitur, cutem ea sim examinaturus, quæ « ipsi in papyrum expuerunt. — Nondum Eccium tractavi, quo- « modo me semper tractat. Erit enim forte ut canem dormientem « irritet..... Vale et ora ut Eccius meus sanus fiat (7). »

1. Adamus. *Vita Melanchthonis*, p. 189.
2. « *Excusatio Eckii ad ea quæ falso Philippus Melanchton* (*sic*) *Grammaticus Wittenburgensis super Theologicâ disputatione Lipsicâ adscripsit.* » Loca et tempora desiderantur.
3. *Ibid.*
4. « *Excusatio...* »
5. « *Ad. Joh. Eckium M. Lutheri Epistola super expurgatione Ecciana.* » Loca et tempora desiderantur.
6. « *Contra malignum Joh. Eccii judicium, super aliquot articulis, a fratribus quibusdam ei suppositis* ». 15 pag., titulo incluso. Tempora et loca desiderantur.
7. *Ibid.*

Eckius contra, quum extremo octobri mense, anno 1519, *Hieronymi Emferi* contra Lutherum partes tueretur, ad similes verborum contumelias descendit · « Luther negat deinde more suo satis « hystrionice..... parce si mordentem remordi : nam ferus ille venator et biliosus non aliter tractandus erat (1)..... »

Nihilominus, gratis necne, insignem operam Pontifici Romano Eckius naverat; quumque editâ « *de primatu sedis apostolicæ et Petri* (2) » commentatione, thesim Lipsiæ habitam ita confirmâsset, merito designatus est qui Romam iter faceret, Lutheranosque errores condemnandos proponeret.

Profitente ipso Eckio (3), non suâ sponte, sed a Leone Papâ invitatus, anno 1520 (4), Romam adiit. Exstat Eckii epistola, ad amicum quemdam Ingolstadii commorantem, Romæ die 3 Maii 1520 data, ex quâ appareat qualem in tam gravi certamine personam egerit (5). Eckii litteris constat Eckium ad privata Papæ consilia fuisse advocatum, unumque e quatuor viris exstitisse quibus de conscribendâ bullâ consultatio committeretur. Declarat Eckius fere neminem Romæ fuisse, antequam ipse eloqueretur, qui de excogitatis a Luthero novitatibus certior factus esset (6), et quinque horas de scribendâ bullâ fuisse disputatum (7).

Ex Româ decedens, bullam Eckius retulit quâ Lutheri partes

1. « *Joh. Eckii pro Hieronymo Emfero, contra malesanam Lutheri venationem responsio* ». Ingolstadii datum. d. 28 octob. 1519. (Loci et temporis mentio deest.)

2. Hoc opusculum invenias in collectaneis quibus inscribitur : « *Enchiridion locorum communium... Auct. Joh. Eckio* ». Primum edit. an. 15 9. Octavum, edit. an 1541.

3. « Romam me non ingessi, sed vocatus per breve apostolicum a Leone papâ... » *Replica Joh. Eckii*. Ratisponæ, 1543.

4. Mense scilicet Febr. an. 1520 a Rectore postulavit ut sibi Romam proficiscendi liceret.

5. « *Epistola Joh. Eccii, sedis Papisticæ nuncii, ut ipse scribit, inviti, descripta ipsius autographo, quæ docebit quam vera sit Epistola quam e Lipsiâ Wittenbergam scripsit; quâ se invitum aït suscepisse munus legationis adversus Lutherum.* »

Loci et temporis mentio deest. 2, una cum titulo, paginæ. — Distincte editum. E notulis quibus opusculum illud illustratur, satis liquet id a Reformatæ religionis fautoribus fuisse editum.

6. « Bonum fuit me venisse hoc tempore Romam, quod alii parum pernoverunt errores Lutheranos. » *Epistola*...

7. *Ibid.*

condemnarentur, munusque illam in totam Germaniam propagandi, « licet invitus (1), » ut ait ipse, acceperat. Germaniam igitur Eckius, Ecclesiam etiam Misniensem, Merseburgensem, Brandeburgensem lustrare cæpit (2).

Ad Ingolstadiensem Academiam bulla pontificalis fuit deportata, benigneque ab omnibus accepta. Aliis autem in regionibus res aliter cessit. Apud eas etiam Universitates quæ catholicam fidem constanter retinuerunt aut in posterum Societatis Jesu Patrum auctoritati obnoxiæ fuerunt, non utique benigne legatio Eckii audita est. Die 14 octobris 1520, misit Eckius « Magnifico domino Rectori Viennensis Studii copiam bullæ in Urbe impressam (3), » illique pontificis nomine præcepit ut bullam illam publicaret, librique Lutheri et adhærentium comburerentur, prohibuitque ne quisquam articulos condemnatos vel legendo, vel disputando aut scribendo defenderet. Quum autem jam Viennam Lutheri libelli allati fuissent, novitatumque cupido humaniorum litterarum professores attigisset (4), male fuit a Rectore Eckii epistola accepta (5). Fortiter restitit Viennense studium, quatuorque in unum congregatis Facultatibus decretum est, « quum tempora essent periculosis-« sima et suspicionis plena (6), rem proferendam esse dummodo « sufficienter et legitime, et cum eâ, quâ decet, legalitate Eckius « de mandato et auctoritate apostolicâ Universitatem infor-« maret (7). » Haud ita multo post a cæteris Theologica Facultas discessit, et ad Viennensem Episcopum decanus doctoresque quidam missi sunt, qui, ut sex saltem e bullâ pontificali articuli ad exitum adducerentur efflagitarent. Quum adhuc Viennensis Episcopus incertus esset cui confideret, in pendenti mansit rei solutio, dieque 10 decembris an. 1520 litteras Rector ad Carolum

1. *Epistola Eckii ad Rectorem Academ. Viennensis.* D. 14 octob. 1520.
2. *Ibid.*
3. Mitterdorfer, I, p. 102 et 103.
4. « Nova doctrina quum a poetis tum liberioris vitæ hominibus celebraretur ». Mitterdorfer, I, 103.
5. *Ibid.*
R. Kinck. *Geschichte der Kaiserlichen Universität zu Wien.* 2 B. in-8. Wien., 1854, B. I, p. 238 et seq.
6. Mitterdorfo teste, hæc ea sunt verba in Actis Academiæ Viennensis usurpata.
7. *Ibid.*

Quintum misit : « Quoniam nuper per quemdam J. Eckium, Theo-« logum, ut videbatur, ad nos..... negotium doctoris Martini Lu-« theri tangentes litteræ missæ fuissent..... » quumque in Germaniâ Primas esset Moguntiacus Archiepiscopus, legatusque a latere Argentoracencis, aliique Archiepiscopi, Episcopique, Principes, Academiæ, qui jam bullam pontificalem accepissent, a quibus nondum Lutheri opera fuissent combusta; quumque Parisiensis Facultas « quæ nostra mater est, » de disputatione Lipsiensi in arbitrium advocata, nondum sententiam dixisset; nec legitime satis ad tam singulare munus « Eckius commendaretur », sibi morâ opus esse donec consilium caperet (1).

Ingolstadii autem, ubi Eckius dominabatur, nihil fuit dubitationis; aut si quis professorum incertus hæserit, in occulto res latuit, et per Theologicam Facultatem Academiæ toti Eckius moderatus est.

Si quis ergo consideret quâ dissimili ratione Viennensis, Ingolstadiensisque Academiæ, antehac mutuo consentientes, in hoc discrimine se habuerint, illam animorum dissentionem, magnâ ex parte, ab Eckio comparatam fuisse agnoscet. De facto ii omnes qui de Bavariæ rebus scripsêre, conveniunt; et quidquid ab illis de Bavariâ dictum est, eodem modo de Academiâ ipsâ potest dici : « Certe Boïca debet Eckio, secundum Deum, initia retinendæ in « avitâ fide constantiæ (2). » Non quod ea uni Eckio laus debeatur, quum Duces Bavariæ ad retinendam catholicam fidem acerrime fuerint intenti, circaque Duces viri nonnulli, Christophorus Schwartzenbergius, L. Eckius, Leschius (3) spiritus eosdem obstinate gererent. Ultra modum progreditur Ludovicus ab Avilâ, his scriptis : « Ba-« vari, licet veterem et orthodoxam religionem amplexi, tamen ita « se comparabant ut et Catholicis et Lutheranis ex æquo favere « viderentur, tanquam neutrarum partium ex professo sectato-« res (4). » Dissentit omnino Adlzreitterus quum profiteatur, anno jam 1520, propter animi Ducis constantiam, « nunquam licuisse « Lutheri præconibus pedem in Boicâ palam figere, neque clan-

1. Mitterdorfer, 104 à 107, I.
2. J. Adlzreitter. *Annales Boicæ gentis*. Pars II, p. 236. Francofurti ad M., 1710.
3. Adlzreitter. *Ibid*.
4. L. a. Avilâ. *De bello Germanico*, p. 20.

« culos habere congressus, neque ullos cætus (1). » Nec tamen minus ab Adlzreittero quam a Ludovico ab Avilâ, etsi in contrarium, erratum est : nobisque argumenta Annales Ingolstadienses copiose suppeditant.

Anno 1523 de illâ primum mentionem fecit Mederus « eximiâ curâ ac vigilantiâ quâ « hæc catholica Universitas nova Lutheri « dogmata præcavere satageret (2) ; » etsi compertum est non ad id tempus Academiam a Lutheranis erroribus integram omnino mansisse.

Quum anno 1523 de « Contubernio Draconis » ageretur, eâ conditione M. Johannes Agricola in moderatorem electus est, ut, antequam sacramentum consuetum ab illo exigeretur, sese ab Osiandro concionatore Norico Lutherano abstineret.

Eodem anno, in re multo graviori laboravit Academia : quum enim magister quidam Artium et Philosophiæ, *Arsacius Seehoferus* multa e Philippi Melanchthonis novitatibus assumpsisset, et seu dicendo, seu scribendo, doctrinam novam propagaret, decreto Rectoris senatusque Academici in custodiam est traditus. Die 7 mensis septembris, coram senatu a notario Universitatis 17 articuli magnâ voce lecti sunt, quos Seehofero hæreticos esse confiteri et jurejurando revocare necesse fuit : « Hâc etiam pœnâ illi cons- « titutâ ut reliquum vitæ tempus in Ettalensi asceterio consumeret. »

Anno insequenti, quum Lutherus ab Academiæ injuriis 17 Seehoferi articulos vindicare esset aggressus, fuit in medium res revocata. Lutherum Mederus incusat quod libellum contra Academicos convitiis refertum ediderit; Ingolstadiensesque Theologi fusius et insulsius explicatâ eruditione usi sunt; de consuetudine, Marstallerus 100 « de verâ libertate christianâ », Apelles 70 de fide, spe, caritate..... conclusiones proposuerunt, Lutherumque ad publicam disputationem appellârunt. Quum denique certamen accenderetur, vulgique animos sollicitaret, vernaculo sermone vulgata est refutatio, et pronuntiatum est nullum Academicum de Seehoferi articulis fuisse commentatum, nec metu mortis Seehoferum ad retractationem fuisse adductum. Jam anno 1523 consilium speciale

1. Adlzreitter. *Ibid.*
2. Mederer, I, p. 118.

Decanus Artium convocaverat quo magistris omnibus præciperet ut « Lutheri novitates » diligenter evitarent (1).

Anno tamen 1523 re singulari compertum est quem in modum omnium animi doctrinis novis exagitarentur, multaque Ingolstadii admiratio mota est. Medio mense septembri, mulier quædam, *Argula de Grumbach, nata de Stauff* (2), quæ avidissime Lutheri Melanchthonisque opera legerat, litteras ad Rectorem senatumque Academicum misit, quibus quereretur quod crudelius cum Seehofero, « octodecim annorum juvene, » actum fuisset, seque declararet libenti animo contra Academicum quemlibet « Idiomate Germanico » disputationem fore ingressuram. Risu a nonnullis, ab aliis commiseratione litteræ exceptæ fuerunt.

Attamen de die in diem rarius contra Academicos adhibenda fuit severitas; quippe quum intentiore curâ Academiam Bavariæ Duce asservante, quasi arx catholicæ fidei Ingolstadiense studium permaneret. Brevi postea integerrimæ fidei famam in Germaniâ totâ consecutum est, totiusque Bavariæ quasi custos est collocatum. Anno 1529 Dux e Bavariâ sacerdotes nonnullos expulit, qui ad sacras conciones coram plebe habendas Lutheranorum libris, vernaculo sermone habitis, uterentur (3); eo scilicet excusatione digni, ut ait Eckius, quod « id facerent ob penuriam Sermonum « Germanicæ linguæ. » Dare igitur operam oportuit ut iisdem, quibus ipsi uterentur, armis Lutherani repellerentur; quumque Eckio negotium Dux dedisset ut « Sermones in linguâ vernaculâ « ederet, » declamationes populares de tempore et sanctis edidit (4). Eo accedebat ut ex Academiis omnibus ad Lutheri partes vergentibus professores nonnulli ad Ingolstadiensem emigrarent, ut, anno 1534, iste Lennius, qui apud Wittenbergensem Academiam Lutherum vehementer adeo erat aggressus, ut a Rotmaro « acer« rimus *Lutheromastyx* » nuncupatus sit.

Ii contra omnes qui in suspicionem hæreseos inciderant, quibusque jam non esse in medio licebat, ex Ingolstadio discedebant,

1. Mederer, p. 128, I.
2. V. Adlzreitter. Pars II, p. 244. Ad publicam disputationem J. Eckium ipsa invitavit, et Duci Guillelmo litteris missis præcepit ut Lutheri partes foveret.
3. *Epistol. Eckii de ratio. studior.*
4. *Epist. Eckii de rat. stud.*

ut *Leonardus Fuchsius* professor Medicinæ eximius, quem, anno 1553 L. Eckius Ingolstadium advocaverat. Quum Luthero intime faveret (1), Tubingam paulo post se recipere coactus est, ibique 33 annos, vel inimicorum consensu, magnâ cum laude edocuit, « immortalis etiam in patriâ suâ futurus, nisi religionem deseruisset. »

Ob eamdem causam professor inclytus *Viglius Zwichenus* (præcipuum collegii Jurisconsultorum decus) quum anno 1540 a Margravio Brandeburgensi Joachimo invitatus esset ut jura Francfurti doceret, oblatâ dignitate abstinuit, ne ab Ingolstadio, catholicæ fidei eximiâ sede, digrederetur.

Vitus Amerbachius, philosophiæ professor, qui diu Wittenbergæ docuerat, ibique uxorem duxerat, Lutherumque aliquandiu erat sectatus, Eystettense primum gymnasium, deinde Academicam Ingolstadiensem demigravit : item uti *Cochlæus* qui, quum Luthero Wormatiæ, Ratisponæ, Augustæque obstitisset, in Bavariæ arcem confugit.

Attamen haud tam professorum sæpius immutatâ conditione quam ipsarum Academiarum discidio et quasi schismate detinetur animus. Ab anno 1520 ad 1530 ea in duas partes absoluta est diremptio. Ad rem recte æstimandam multum ea pertinent de quibus Rotmarus in eo capite disseruerit, cui inscribitur : « Utrum « Academiæ hæreticæ veræ sint Academiæ, et satis jure gaudeant « privilegiis (2). » Excusationem quæsivit Mederus quod ea Rotmari loca referat, quum, ut ait ipse, « de quæstione agatur hodie « inutili, et post constitutam pacem Wesphalicam..... male sonanti. » Nihilominus operæ pretium est ea describere si quis animorum eo tempore habitum introspicere velit.

Contendit Rotmarus ut, omnium consensu, vis privilegiorum Academicorum, non ex immunitatibus, aut civilibus actionibus, sed e promotionibus, et graduum contributionibus singulariter constet. Ea autem promovendi auctoritas, ut ex Academiarum statutis manifesto apparet, non e privatorum, magistratuum, principumve potestate gignitur : hæc e duplici fonte manat, Papæ Imperatorisque imperio. Si quis ergo Papam Imperatoremque

1. Mederer, I, p. 150.
2. Rotmar, I, p. XV.

valde repudiârit, omni promovendi auctoritate destituitur; omniaque Universitatis istius modi constitutæ acta pro nullis habenda sunt, « promotionesque vel prorsus non haberi, vel quum per « subrepticium institutæ fuerint, cassari et annihilari poterunt; « ita ut nulla Academia per totum orbem unquam jactârit nomen, « nisi ex auctoritate Summi Pontificis et Imperatoris (1). » Hoc ipso quod Academiæ quædam Papæ Imperatorisque auctoritatem detestari incæpissent, prorsus valde rerum antiquus ordo commutabatur. Multo tamen minus ab Imperatore facta consecratio necessaria habebatur, quippe quæ non utcunque fuisset requisita : auctoritati autem pontificali semper obnoxiæ fuerunt Academiæ. Si quis ergo Papam repudiaret, promovendique auctoritate nihilominus uteretur, quasi e novo fonte jus haurire videbatur, nec jam sacrosanctam, sed tantummodo candidatorum eruditioni congruentem promotionem adhibebat. Ex Academicorum sententiâ, qui in Catholicâ fide constanter permanerent, nullo modo Lutheranorum Academias pro Academiis haberi æquum erat; nec ea eorum modo mens fuit qui in gravissimis contra Lutherum decertationibus fuissent versati. In XVII° etiam sæculo, *Gretserus* pro legitimâ Wittenbergensem Academiam, Lutheranis addictam, quin haberet recusavit, quumque de Jubilæo ibi, anno 1602 habito, loqueretur, *pseudojubilæum* id appellavit (2). Recte quidem de Papâ, falso autem de Imperatore, quod ad Universitates attinet, Rotmarus disseruit. Donec enim res ineunte XVI° sæculo immutatæ fuissent, Academiæ omnes e Papâ oriebantur; non omnes autem, in Germaniâ quidem, ab Imperatore originem habebant. Ingolstadiensis enim, exempli gratiâ, Academia e Papâ tantum initia duxerat, et in eâ, nobis a Medero diplomatum traditâ copiâ, nulla exstant Imperatorii cujusdam diplomatis ad fundationem illam pertinentis vestigia.

Haud facile dici potest quem in modum Pontificali Imperatoria temperaretur eo tempore auctoritas, et utra utri præcelleret. Ætate primum Maximiliani, personam insignem in Academiis Imperator gessit: Wormatiæ enim anno 1495 in concilio decretum

1. Rotmar, I, XVI.
2. J. Gretserus. *Observationum libri in commentarium Philippi Episcopi Eystettensis.* Ingolstadii, 1617, p. 256.

est ut ab Electore singulo in suæ ditionis regione constitueretur Universitas. Anno 1502 privilegia fundandæ Wittenbergensi Academiæ Maximilianus concessit, promovendique auctoritatem professoribus, promotisque doctoribus jus ipse condonabat « in omnibus « locis et terris Romani Imperii et ubique terrarum » docendi (1).

Nihilominus, vel eâ ætate quâ vehementius contra Papalem dominatum Lutheranorum partes inveherentur, quasi e Pontificali prærogativâ derivatum promovendi jus habitum est : quum enim a Margravio Albrechto, anno 1544, litteræ fundationis Kœnigsbergensi Academiæ concessæ fuissent, id primum Rector curavit ut ad cardinalem Bembum litteras mitteret, illoque deprecante, Papalem bullam impetraret, quâ promovendi auctoritas novæ Academiæ attribueretur. Pontifex autem se bullam missurum esse pollicitus est (2), si confirmatio Imperatoris concederetur.

Eodem autem illo, quo postea Rotmarus, circa annum 1525 Academia tota Ingolstadiensis errore studioque detinebatur. Interea dum omne vinculum cum Papatu societatis in Academiis remitteretur, necesse erat ut ab iis omnibus quæ fidem avitam servavissent, arctius contraheretur. Papæ autem in Academiis personam gerebat Cancellarius, Cancellariique munus ab ipso Papâ amplissimo cuidam viro, plerumque Episcopo solebat committi : apud Ingolstadiensem Academiam Episcopus Eystettensis cancellarii officium administrabat. De Cancellarii privilegiis et auctoritate tacent annales : Gretseri autem in libro qui « observationes » inscribitur, singula quædam sunt notanda. Anno scilicet 1528 « inclytæ Juridicæ Facultatis » professores Ingolstadii consilium habuerunt, qui recte quid esse debeat Cancellarius constituerent. « Consilium super juribus et prœeminentiâ....., cui consilio Joannes « quoque Eckius subscripsit, additâ de Cancelliaratu Academico, « nec indoctâ nec ineleganti dissertatiunculâ (3). » Plurimum autem in articulo secundo momenti est : « Quia Ecclesiæ Dei « multum interest gymnasia publica et studia privilegiata erigi, « recte Summus Pontifex Cancellarios *suos* illis præficit, qui,

1. Raumer. *Geschichte der Pædagogik.* Vol. IV, p. 12 et seq.
2. *Ibid.* — Quum autem Imperatoria confirmatio non fuisset concessa, Bullam Papa non largitus est.
3. Gretserus, p. 251.

« nomine suo, super promotiones intendant, ne passim indigni et « infideles docendi auctoritatem et Magisterium consequantur, et « emittantur in oves dominicas pro ducibus et pastoribus lupi « rapaces (1). »

Constitutus est ergo Cancellarius ex Gretseri sententiâ quasi Papæ legatus, ne « indigni aut inepti ad honoreset gradus Acade-« micos evehantur. » Examinibus itaque cancellarius aut vicecancellarius interest. Re autem quadam impediente « fidei et judicio « professorum ejusdem Facultatis » sacrosanctum illud cancellarii munus quasi delegatur : e solâ enim illius auctoritate « magis-« terium philosophicum, doctoratusque Theologicus, Juridicus, Medicorum constat. »

Quum autem, haud multo ante, Viennensis Academiæ professores gradus quosdam, « partim inscio, partim etiam invito et « reluctante cancellario, » collatos voluissent, pronuntiaverunt consilio habito professores Ingolstadienses, istiusmodi promotiones illicitas et pro nullis habendas esse (2).

Quum igitur plures in Germaniâ Academiæ pontificale imperium in rebus Academicis repudiarent, Ingolstadiensis autem Academia de se arbitrium Papæ permittebat; nec quin plurimum ad id Eckius valuerit infitias eundum est, quippe qui consilio, anno 1528 habito, interfuerit. Verisimile est eo tempore verba Jurisjurandi Papæ dati fuisse immutata. Etenim in famoso quodam libello formulam hanc Ingolstadii habitam retulit Lutherus :

« Ego, N, scolaris Ingolstadiensis, ab hâc horâ in antea fidelis « et obediens ero Beato Petro, sanctæque Apostolicæ Romanæ « Ecclesiæ et Domini nostri Sancti Pauli III..... ad defendendum « et retinendum Papatum Romanum et Regalia Sancti Petri con-« tra omnem hominem adjutor ero. »

Magnopere erravit Gretserus, quum arbitratus fuerit formulam illam a Luthero fuisse confictam et ex istis verbis « contra omnem hominem », velut ad Lutherum pertinentibus, duxerit argumentum. Eadem enim jurisjurandi formula e bullâ pro Universitate erigendâ ad verbum exscripta est (3).

1. Gretserus, p. 251.
2. Gretserus, p. 252.
3. *Annales*, IV, p. 16.

Ita igitur se in hoc gravi de fide discrimine Ingolstadiensis Academia gessit : parum habuit se nihil accepisse detrimenti, et contra hostem acerrime conversa est.

Nec tamen ad religionem modo ardentius excolendam eventa ista valuerunt. Quum enim in duas partes Academici divisi fuissent, in melius paulatim professorum conditio immutata fuit, nec, propter omnium diversas contentiones, sine magnis impensis professores eximii invitabantur aut retinebantur. Eo enim 25 annorum spatio qui recens Reformatæ religioni proximi fuerunt, mirum in modum res fuerunt immutatæ. Res in magnam contentionem Catholicos et Lutheranos inter venit, ut ad se quisque professores præstantissimos perduceret (1). Maxime jampridem præbendarum, beneficiorumque spe professores detinebantur, quorum Academicis usus reservaretur. Anno jam 1477, bullâ Papa Sixtus præbendarum reditus jus percipiendi, vel absentibus, professoribus concessit, « dummodo sibi vicarios constituerent. » Ubi Lutheranorum res profecerunt, istiusmodi condonationum numerus crevit.

« Anno 1523, Incorporatio quatuor pensionum ex totidem parochialibus Ecclesiis pro studio Ingolstadiensi.

« 1523, Bulla pontificalis pro incorporandis Universitati decimis in Zuchering.

« 1523, Bulla super jus patronatûs in Parr collegio Georgiano concessa (2). »

Eo tot beneficia pertinebant ut « remuneraretur videlicet exi-« mius Universitatis in tuendâ avitâ fide fervor » nec, nisi præcipue a Duce Bavariæ efflagitata, fuerunt condanata.

Paulatim ordinariorum professorum numerus adauctus est; anno primum 1526 Dux Guillelmus ad Rectorem Senatumque Academicum litteras misit, quibus efflagitaret, « ut magistris Artium « eâdem ratione quâ cæteris professoribus, ex camerâ Universi-« tatis, pensio annua solveretur, ut et ipsi deinceps gratis, et « absque ullo ab auditoribus collecto stipendio suas lectiones « habere possent (3). » Ab Academico senatu 70 Rhenani floreni in stipendii modum magistro cuique constituti sunt. Attamen non

1. Meiners, I, 196 et seq.
2. *Annales*, IV, 109 et seq.
3. Mederer, I, 130.

prout ab omnibus exspectatum fuerat, ea liberalitas valuit, eoque res pertinuit ut ab omnibus seu in docendo, seu in discendo diligentia minor adhiberetur.

Eodem fere tempore, anno 1527, novo exemplo, *Laurentius Hochwartus* ex lectione pædogicâ in Pædagogio stipendium percepit; primumque 24, deinde 34 florenorum certum pretium constituit.

Miram autem ad professores eligendos diligentiam Bavariæ Duces adhibuerunt; iique omnes qui de Bavariæ rebus scripserunt, eo scilicet temporis spatio, ab anno 1530 ad 1540, singulari laude Ingolstadiensem Academiam fuisse insignem affirmant. « Ex remo« tissimis etiam provinciis præstantissimos evocabat Dux præceptores : » *Viglius ab Aytâ Zwichem* exemplo est; qui quum Jura Dolæ et Biturico, postremum Paduæ docuisset, catholicæque fidei studiosissimus esset, « per magnos aliquot viros » jubente Duce ad Ingolstadiensem Academiam invitatus est. 300 floreni illi constituti sunt, stipendium, ipso Viglio confitente, « majus quam « quis unquam Germanus in Academiâ Germanicâ accepisset. »

Ea eo facilius a Ducibus diligentia adhibebatur, quod quasi summâ auctoritate semper usi fuissent. Raro enim, quum professorem quemdam eligendi occasio contingeret, litteræ Ducis commendatitiæ deerant; nec invitabantur modo, sed quasi cogebantur Academici ut dicto parerent.

Anno enim 1517, in medio Regentiâ Collegii novi positâ, *Johannes Schvottingerus* cum *Kretzio,* cui Guilhelmus Dux faveret, petebat. Quumque Schvottingero Facultas suffragata esset, die 16 Januarii, litteras Dux misit « ne Facultas nec verbo, nec « facto ullo modo impediret Kretzium in suâ Regentiâ, sub pœnâ « relegationis et amissionis tam provinciæ quam civitatis Ingol« stadii. » Statuit igitur Academia in consilium convocata, « in « hoc negotio quiescendum esse : « Princeps ergo faciat cum col« legio quidquid velit et cum Regente ipsi sint securi et quieti. » In Regentem Kretzius electus est (1).

Quo autem majora a Ducibus ad Academiam beneficia fuerant collata, eo gravius iidem affectaverunt imperium. Non tantum e Duce ipso, sed ex ipsis Ducis consiliariis et e patrono Universitatis solebat

1. Mederer, I, 107.

Universitas jura petere : insignem inter eos locum *L. Eckius* obtinuit. Anno enim 1527, quum magistro cuidam Artium *L. Hochwarto* L. Eckius faveret, ad Facultatem Artisticam litteras 12 die maii misit quibus rogaret ut « destitueretur suâ lectione pædagogicâ *Zacharias Piererus* « declararetque neminem alium lectioni « huic præficiendum esse quam Hochwartum. » Quumque respondisset Facultas tempus dandum esse « dum scholæ patronus plenius « edoceretur, » supervenere die 24 maii aliæ ejusdem litteræ, quibus minaretur, nisi morem mox gererent, se effecturum apud Principem, ut stipendia nuper ipsis concessa iterum eriperentur.

Haud dubium est quin, catholicæ fidei retinendæ causâ, prudenter Academiam Dux observaret, præsertim quum jam in eo J. Eckius esset ut moreretur præsidiumque illud desereret in quo 25 annos permanserat. Mortuo enim Johanne Eckio, munus illud observandæ Academiæ acrius etiam quam antea suscepit Dux Guillelmus IV (1). Consiliariis tunc *Leonardo Eckio* et *Wiguleo Hundio* utebatur.

L. Eckius, diu apud Ingolstadiensem Academiam discipulus (2), protector præsesque ab Aventino institutæ Sodalitatis, patronus denique Academiæ, omnia ad Academiam pertinentia negotia administrabat : acriter adeo Catholicæ fidei addictus, ut filio suo Oswaldo, eâ modo conditione suas amplas possessiones testamento relinqueret ut avitam religionem servaret. Natu multo minor, pari autem in agendo strenuitate, doctrinâ præstantissimus Hun-

1. Patri suo Alberto IV, mense martio, an. 1508 Guillelmus IV successerat.

« Guillelmus... heroïce in publico consensu professus est, Catholicam fidem sibi fuisse, esse et fore vitâ cariorem, neque se ullius periculi denuntiatione aut ipsius adeo mortis metu, ab hâc sacrâ anchorâ avellendum ». Adlzreitter. Pars II, p. 250. — An. 1541, quum liber cui « *Interim* » inscribitur, quo temperandi erant dissentientium animi, Ferdinando Ratisponæ fuisset traditus, vehementer illis Guillelmus adversatus erat, quibus temperamentum in tam gravi discrimine adhibendi animus erat.

2. Leon. Eckium inter *nobiles inscriptos* an. 1489 invenias. Multa idem in Academiam beneficia contulerat. Permulti anni jam erant quum *Curator Academiæ* exstitisset. Illius impulsu, professores novos Dux elegerat, quum res eo venisset ut, prosperarum Academiæ rerum periculo, doctrinâ, egregii et spectatæ fidei famâ insignes professores Ingolstadium advocarentur. Eâ igitur ætate, maximam sibi Monachii et Ingolstadii auctoritatem Leon. Eckius constituerat.

dius (1), anno 1530 inter juvenes Ingolstadii adscriptus, professor novus Juris anno 1537, haud diu publice docuit; anno enim 1540 Monachium advocatus, aulici, deinde intimi consilii assessor, supremus denique cancellarius evasit.

1. Hundius idem ille est a quo « *Metropolis Salisburgensis* », Historia scilicet Bavariæ Ecclesiastica fuerit edita.

III

De reformatis, post adventum Patrum e Societate Jesu, disciplinâ, moribus, studiis : et eminenti in superiore Germaniâ Ingolstadiensis Academiæ, quum propter restauratam catholicam fidem tum ob novam studiorum adhibitam rationem, gradu.

Eodem ipso anno quo J. Eckius mortuus est, promoti sunt, mense octobri, duo doctores. His solennibus legatus Papæ *R. Vankopius* præsedit, et ex actis Facultatis Theologicæ constat inter eos qui præsuli comitarentur *Claudium Jaium e S. J. Allobrogem* exstitisse. Jam duobus antea annis in Bavariam sese Jaius contulerat; Ingolstadii tunc moratus est « et volentibus professoribus Academiæ », mediâ insequentis anni æstate (1544) sacras litteras publice interpretari incæpit (1). Ex Mederi commentariis haud diu Ingolstadii Jaius exstitit; teste autem *Agricolâ* (2), duos ferme annos ibi moratus est, et a cæteris Academiæ professoribus, quamvis doctoratum nondum impetrasset, valde invitatus est ut in J. Eckii locum succederet (3). Quum autem, iterum et sæpius

1. Mederer, I, 188.

2. Ignatius Agricola. *Historia provinciæ Societatis Jesu Germaniæ superioris.* 2 vol. in-fol. Augustæ V. 1727.

3 Etsi nullam rei mentionem in Annalibus licet deprehendere, non dubium esse videtur quin, eâ ætate, in suspicionem hæreseos Academia venerit. « Boïca nutabat, et jam anceps hærebat in quam se partem inclinaret. » (Math. Raderus. *De Vitâ Petri Canisii de Societate Jesu sociorum e Germaniâ primi*... Antuerpiæ, 1615.)

Non quod profecto plena fides iis auctoribus debeatur, quorum maxime interesset hæc omnia in majus accipere. Eo tamen temporis momento, quo certum utriusque fidei discrimen facere erat operosum, vix est credendum professores omnes hæreseos labe omnino caruisse. Quantulumcumque fuisset periculum, causa erat cur attentius Catholici invigilarent. Asserit Falskenstein (p. 533) Lutheri fautores quosdam sese in Academiam Ingolstadiensem insinuâsse. — His similia scripsit Adlzreitterus (pars II, p. 259) : « gliscente paulatim in ipsam fidei defendendæ arcem Ingolstadiensem Academiam... »

rogante L. Eckio, compertum haberet Dux Guillelmus de Ingolstadiensi Academiâ brevi actum fore, nisi diligentissime vir eximius deligeretur, qui J. Eckio succederet, Leonardum Eckium Romam legatum, datis litteris, anno 1549 misit (1). Mandatum erat Eckio ut Papam Paulum III, Cardinalem Farnesium et Ignatium a Loyolâ inviseret, tresque a S. J. Patres mittendos rogaret, « quorum Jaius unus esset, » qui Theologiam ad Ingolstadiensem Academiam docerent (2). Postquam eximiam Duci pietatem gratulatus esset Papa, rem ad Ignatium detulit, cujus esset tres Patres designare. De eligendo Jaio nulla erat dubitatio; additi sunt collegæ *Canisius et Salmero*. Canisius nomen inter socios Jesu jam obtinuerat (3). Noviomagi, anno 1521, natus, inter eos annumerandus erat qui primum *P. Fabri* auctoritate moti fuissent; quumque Moguntiæ, anno 1553, minora vota fecisset, Fabri Bobadillæ et Jaii auspiciis, pro catholica fide, in inferiore Germaniâ acerrime decertaverat. Salmero, minor natu, quippe qui an. tantum 1581 mortuus sit, obscurior adhuc erat (4).

Schweichero, a secretis Ducis, comitante, tres Patres die 13 mensi novembris, anno 1549 (5), Ingolstadium ingressi sunt. Ex mandatis Guillelmi, a Rectore et professoribus omnibus Academiæ honorifice excepti, convivium in hospitio Schoberiano egerunt; quumque orationem professor Theander habuisset, respondit Canisius pro se suisque collegis. In veteri collegio hospitium illis factum est, dieque 26, eodem mense, Canisius et Salmero lectionum suarum initium habuerunt, « et tota Academia, edito « programmate, suam de eorum adventu lætitiam judiciumque « publice testata est (6). » Jaius autem Ingolstadium venerat qui collegas suos collocaret, nec qui ipse profiteretur.

Manifestum est eam præcipue ob causam duos Patres J. in

1. Est inter scriptores de anno dissidium : an. 1549 apud Adlzreitterum, an. 1548 apud Agricolam invenias. Si ad rerum summam spectes, Adlzreittero fides adhibenda est.

2. Adlzreitter. (*Ibid.*)

3. Math. Raderus. *De Vitâ Petri Canisii, de S. J.* Antuerpiæ, 1615.

4. Professores illi tres doctoratum Bononiæ adepti erant, « Ne a Germanicis doctoribus irriderentur. »

5. Mederer, I, 214.

6. Adlzreitter, I, 260.

Academiam tunc fuisse missos quo facilius *collegium* Ingolstadii posset instaurari. Quum primum docendo sibi favorem audientium Canisius et Salmero conciliassent, rem secretissimam tractare Jaius incæpit : quod Theologia jaceret querebantur episcopi, quodque in dies minor sacerdotum numerus evaderet, illorum præsertim a quibus egregie contra Lutheranos disputari posset. Callide, nec immerito, admonebant Societatis principes nequidquam elaborari ut Theologia de integro vigeret, nisi primum ad Philosophica studia diligentia rursus adhiberetur (1). Plurima autem apud L. Eckium Jaii fuit concursatio et contentio : « eâ « potissimum spe et consilio, Pontificis et Ignatii missu, Româ se venisse » jactitabat, optimeque in collegio Patrum discipulos fore informandos qui Universitati plurimum postea conferrent.

Eckio, jam ætate provecto, facile rem Jaius persuasit, Guillelmusque in eo erat ut Collegium instauraret. Sub idem autem fere tempus Eckius Guillelmusque mortui sunt (2). Albertus, qui in Guillelmi locum successit, 22 annos natus, non is erat qui inchoatum a patre opus desereret. Quum tamen in instantioribus rebus tunc Dux versaretur, ex Ingolstadio Jaius discessit (3). Canisius igitur, profecto Jaio, vigens ætate (4), mirumque in modum ad res administrandas habilis, plurimum sibi auctoritatis comparavit.

Notatione dignum est quod de rebus ad Societatem Jesu pertinentibus Rotmarus et Mederus quasi consulto sileant. Constat tamen, incipiente anno 1550, S. Catharinæ sacellum, in viciniâ ipsâ Academiæ Patribus S. J. ad officia celebranda fuisse concessum. Quum autem id sacellum ad Facultatem Artisticam pertineret, jam cum Facultate Artistica, omnium scilicet spectatissimâ, et extra Academiam, auctoritate gravissimâ, Patres congrediebantur,

1. « Quum in Academiâ vix ulla ponerentur Philosophiæ fundamenta, quod fere deessent hujusce disciplinæ satis gnavi interpretes, eoque Theologicæ sapientiæ multum decederet adjumenti ». Adlzreitter. P. II, p. 265.

2. Jam acerrime de re actum erat. Duci Pontifex Maximus decimam partem redituum ad Ecclesiam in Bavariâ pertinentium concesserat, ut restitutam in melius Academiam adjunctumque Academiæ collegium sustineret. An. 1549, 20,000 floren. ab. Eckio pro decimâ illâ parte fuerant collecta. Guillelmus d. 6 mart.; L. Eckius, d. 17. Mense eodem decessit.

3. Jaius etiam die primâ Augusti Ingolstadii versabatur. Exstat Ignatii a Loyolâ ad Jaium epistola, Ingolstadium missa, eodem die data.

4. Canisius annos tunc natus erat viginti novem.

etsi Theologicæ modo adscripti fuissent. In eo scilicet sacello, præter lectiones in Academiâ ordinarias, conciones sacras festis diebus latino sermone habere incæpit Canisius : paulo post effecit ut in Georgiano collegio colloquia hæc haberi possent, Rectorisque jussu ibi cathedra sua sibi constitueretur. Quumque maximus studiosorum magistrorumque illuc concursus fieret, Canisius omisso unice per semetipsum docendi munere, publicas declamationes inter eos instituit, qui se studio aut egregiâ ad dicendum indole notabiles fecissent. Ita consuetudinis regulâ omissâ, novâ viâ iter tentabatur, majusque in dies momentum in moderandâ studiorum ratione Canisius habebat. Imo, quo facilius Lutheranorum consilia artesque frangerentur, arctiusque cum ipsâ plebe communicaretur, in vernaculam linguam « *rudimenta Latinæ grammaticæ Annibalis Codretti* » transtulit Canisius (1).

Quum igitur multa scite in melius mutaret, paulatim nullo recusante Academiæ toti moderatus est, Rectorque, pro talibus incæptis anno 1550, renuntiatus est ; nec minus, Rectoris munere assumpto, solertiæ strenuitatisve adhibuit. Haud bene moratos studiosos aspere tractavit, quumque assidue ægros inviseret, in omnibus Ecclesiis, seu extra urbem, seu in urbe ipsâ prædicaret, magnum nomen Ingolstadii obtinuit. Sic facile intelligitur quas ob causas talibus eum laudibus extulerit Rotmarus (2).

Id autem imprimis notandum est quod Rectoratum Canisius, non modo veluti Academicum munus gesserit, fines autem Academiæ excesserit ; tanquam, etsi se Academiæ amantissimum esse Ignatius a Loyolâ declarâsset (3), vehementius juventuti plebique Ingolstadiensi quam ipsi Universitati moderari cuperet Canisius. Denique ad conciones Germanicas, quæ plus utilitatis, plusque gratiæ apud populum essent comparaturæ, convertit animum.

Nec tamen, quamvis diversissimis rebus operam daret Canisius, theologia ipsa jacuit. Engerdo teste, J. Eckii tempora reddita

1. *Agricola*, I, p. 21 et seq.

2. « Lumen est nostro tempore inter doctores Ecclesiæ ». Rotmar, I, 219.

3. « Neve celeberrima Ingolstadiensis Academia quidquam detrimenti in studiis Theologicis pati possit, de quâ certe quam plurimum mereri et cupimus et studemus. » *Epistola Ignatii ad Cl. Jaium*. Kal. Augusti, an. 1550.

fuisse videbantur.: « Citra veterum doctorum atque ipsius etiam « J. Eckii..... religionem propugnando felicissimi et fortissimi « Hectoris injuriam, facile affirmâro, longe et elegantius poli« tiusque et compendiosius nunc pene omnes tradi docerique lit« teras quam apud majores nostros fieri est solitum... (1), » omnesque nulli alteri Germanicæ Academiæ Ingolstadiensem facile cessuram esse confitebantur. Ne autem Rectoris munere, etsi insigni, omnes eximii cujusdam e Societate viri cogitationes occuparentur, ita a Patribus in posterum institutum est ut « ultro se abdicarent « muniis » (2); nec postea ullus e Societate Rector renuntiatus est. Nec eadem de Cancellariatu ratio erat : quum enim Cancellarius quasi perpetuo Pontificis legati apud Academiam munere fungeretur (3), formam Jesuitarum propositi excedebat dignitatem illam aversari, cujus beneficio docendi rationem observare et ad arbitrium suum conformare liceret. Bis ergo procancellarius Canisius constitutus est.

Haud facile intelligitur, quamobrem, re feliciter adeo tentatâ, quasi inopinato ex Ingolstadio Patres discesserint (4). Mense enim Martio, anno 1552, Canisius Gaudanusque « haud sine profes« sorum ac plebeiorum lacrymis Viennam iter ingressi sunt (5). »

Jam inde Academiæ Societatisque res arcte adeo fuerant consociatæ ut neutrius historia separatim possit tractari; quippe quum in eo sit Academia ut, exactis ferme 40 annis, ista a Patribus sit occupanda.

Tres fere anni elapsi sunt, quorum spatio nihil in Annalibus insigne memoratum sit. Dux Albertus (6), Ignatii litteris sæpius acceptis, fovebat cogitationes de Societate pristinas, præsertim

1. Engerdus. *Annal.*, I, 227.
2. Rotmar, anno 1552.
3. Gretserus, p. 251 et 252.
4. Scriptores Societati J. adscripti diutius de interpositâ fundando collegio morâ loquuntur; discessûs autem sociorum rationem aliam reddunt. Quum enim multo magis religio in Austriâ quam in Bavariâ nutaret, precibus Ferdinandi regis fatigati, Pontifex M. et Ignatius Canisium Viennam proficisci jusserunt.
5. Mederer, I, 229.
6. Non quod aliena a Patribus Societ. Jesu Ducis voluntas fuerit. Firmum enim constitit Alberti V in Patres benevolum studium. Sed propter bellum, quo tum Germania accendebatur, ad restaurandam fidem inchoata consilia necesse erat procrastinari.

quum in dies Academia pejus se haberet. Haud facile professores Theologiæ sacerdotio adscripti inveniebantur, annoque 1551, necesse fuit laïco cuidam *Joanni Spretero* regentiam Collegii novi committere (1).

Imo ea in dies in omnium animis, apud Germanos præcipue, invaluerat opinio a nullis, nisi a Societatis Patribus, aut catholicam fidem servari, aut ad litterarum studium juventutem pueritiamve informari posse. Inter Bavariam Austriamque contentio erat utra plenius se Jesuitis dederet. Anno jam 1554, Albertus V Viennam Hundium miserat qui Viennæ commorantes Patres admoneret quanto Ingolstadii desiderio celebrarentur, litterasque Alberti Ducis ad socerum Ferdinandum regem redderet; Ferdinandoque annuente, circa finem anni 1555, Ingolstadium Canisius reversus est. Nec jam modo de docendi apud Academiam facultate, sed de collegio instituendo unice agebatur. Ne res in irritum, ut antea, caderet, conditiones conscriptæ sunt.

Art. 1. — Ut ad usum collegii Theologici, satis ampla domus, cum sacello et horto conduceretur.

Art. 2. — 800 floreni singulis annis numerarentur.

Art. 4. — A duobus e Societate professoribus lectiones publicæ de Theologiâ apud Academiam haberentur.

Art. 5. — Schola publica gratis aperiretur ad pueros seu ex urbe, seu ex provinciâ edocendos.

Art. 15. — A Duce ad Ignatium litteræ mitterentur quibus ab illo Theologos Canisiumque una Ingolstadium mittendos esse rogaret (2).

Hæ articulatim distributæ conclusiones, Ingolstadii, die 7 decembris 1555, habitæ fuerunt. Cum Hundio, Simone Eckio, Henrico Schweikero a Canisio de re fuerat disputatum.

Schweikerus idem Romam, initio anni 1556, ad Loyolam missus est, qui totum de novo collegio negotium cum ipso conficeret (3). Inter Albertum et Loyolam commercium epistolarum fuit; prio-

1. *Annal.*, I, 224.
2. « *Capitulationis copia de erigendo novo collegio Theologico in usum Societatis Jesu* ». *Annal.*, IV, p. 282 à 285.
3. Mederer, 243.

Haud facile est tempora istius itineris notare. Ingolstadium tamen ineunte Martio mense Schweikerus regressus erat, quum Ignatius, datâ die

ribusque anni 1556 mensibus, litteras Ignatius ad Albertum misit, de quibus Dux memoraverit, quum responsa die 11 Maii, eodem anno, dedisset (1). Hoc responso confirmatæ sunt antea habitæ conclusiones : haud dubium est quin Ignatius eâ conditione Canisii conclusiones ratas habuisset, ut nullo pacto Jesuitæ obligarentur, quippe qui, quum jam propriis Regulæ vinculis obstringerentur, libera omnia, integram fidem servare deberent. Rescriptis enim ad Ignatium litteris, Dux diu in hoc hæsit et rursus jus retinuit stipendia omnia abrumpendi si « se reipublicæ utiles minus Patres exhiberent (2). » Annuntiabat super hæc a mercatoribus Olgiatis Romæ 300 aureas coronas ad itineris sumptus fore solvendas (3).

Nulla mora facta est quin Ignatius, eodem fere die (4), litteras ad Schweikerum et ad Ducem mitteret : eo majorem in mittendis Patribus celeritatem adhibuit, quod, post Augustanum consilium, Romæ fama etiam apud « non vulgares viros (5) » increbuerat res Societatis in Germaniâ periclitari ; utque majorem diligentiam Canisius adhiberet, illum « præpositum Provincialem Societatis in « Germaniâ Superiori, Bohæmiâ et Austriâ » constituit (6).

Electi igitur Patres, 6 idus Junias (7), e Româ iter fecerunt ; dieque 7 Julii mensis Ingolstadium sunt ingressi. Duodeviginti Patres missi erant, inter quos tres Theologi (8), quibus alii, etsi haud pariter, in edocendis humanioribus litteris et grammaticâ socii esse

8 Junii an. 1556 epistolâ, se Schweikeri epistolæ d. 10 Martii datæ persolvere asserit.

1. « Redditæ sunt nobis litteræ Paternitatis reverendæ, quibus ad petitiones nostras de collegio... respondes ». *Epistola Alberti Ducis ad Ignatium*. Monachii, d. 11 Maii 1556.

2. *Ibid.*

3. *Ibid.*

4. Litteræ Ignatii ad Schweikerum d. 8 junii ; ad Albertum Ducem, d. 9 eodem mense an. 1556 datæ sunt.

5. « Sinister quidam rumor, qui post Augustanam diætam in Urbe cœpit increbescere..., etc. » Hæc verba ad Albertum spectant, quem tunc quasi incertum quid ageret nonnulli habuerant. « Ad vindicandam Alberti famam, quam Augustana comitia nuper Romæ nonnihil obscurârant ». *Epist. Ignatii a Loyolâ ad Schweik.* Adlzreitter. Pars II, p. 226.

6. *Litter. Ignatii ad Albertum*. 9 Jun. 1556.

7. Adlzreitter, p. 226.

8. *Annal.*, IV, p. 291.—*Agricola*, I, 33.—In *Catalogo* qui ad *Rescriptum* Ducis accessit (20 Augus., 1556), relata sunt nomina Patrum Ingolstadium missorum ; imo ad quam singularem quisque facultatem aptus foret notatum erat.

debebant. Comiter et benevole a professoribus omnibus accepti (1), haud morati sunt quin « jussu Serenissimi Principis » in consilium Academicum admitterentur. Patres ergo, interposito 4 annorum spatio, sed longe immutatis conditionibus, iterum in Academiam fuerant recepti. Nec jam simplicem personam agebant; et Theologiæ professores in Academiâ quasi tantum ad id versabantur ut facilius extra Academiam pueros edocendi propriasque scholas instituendi veniam alii impetrarent.

Ex ratione novâ Patrum Instituti, totum in eo erat ut scholæ publicæ gratuito discipulis a pueritiâ ad adolescentiam instituerentur; et ita aut supplementum Academiæ lectionibus contingeret, aut melius ad eas Juvenes informarentur. Attamen, si ad communem causam id pertineret ut gratis habendarum scholarum numerus augeretur, de privatorum commodis aliquid detrahebatur. Ab initio enim Academiæ, magistris Artium id peculiare munus contigerat seu in bursis, seu privatim, ordinarie pueros edocendi; eâ præcipue mercede vitam tolerabant. Plerique etiam seu præceptoris seu hypodidascali partes agebant; nec in præsens modo stipendia ita sibi comparabant, sed nobiles pueros edocendo, amplissimis viris in posterum fautoribus utebantur, eoque facilius ordinarii professoris dignitatem consequebantur. Itaque quum de gratuito instituendis scholis ageretur, sui temporis rationem habuerunt; hoc etiam omisso, quod ita in certamen cum Patribus deducerentur et comparationis periculum inirent. Anno 1556, ineunte jam æstate, questi sunt magistri, quod tali in re, nullo modo æmulatio fieri posset. Societatem cum magistris inierunt Pædagogii professores et a stipendiatis laïcisque professoribus contra gratuito docentes Societatis Patres commune consilium habitum est. In partes suas plerosque professores et pene omnem urbis magistratum adduxerunt magistri. Asseruit tamen Agricola numquam fieri potuisse ut sine occultis artibus archigrammateos Academiæ, *Pantaleonis Hunderi*, occulte Lutheranis partibus addicti (2), societas ista inter professores iniretur. Propius autem ad fidem est professores de

1. « Doctores Academiæ perbenevolos sese novis incolis initio præbuere. « Superabat adhuc fama Jaii, Salmeronis et Canisii... eaque memoria aucto- « ritatem collegio adjungebat. » Adlzreitter, p. 266.

2. Rotmar, II, 41.

causâ illâ sponte laborâsse quam valde curare eos decebat. Res extra Academiam patuit; civium etiam animos accendit, insolententissimaque crimina Jesuitis sunt illata. Quum enim nondum ab illis ad choros hymnodiasque pueri fuissent exercitati, jactitabant omnes male ab antiquis traditos mores servari, eo magis quod eâ potissimum horâ pueri in scholis detinerentur quâ in ecclesiis cantus fieri solerent, et potissimo invitamento catholicarum ecclesiarum sacra destitui. Apud multos valuere hæc crimina; firmus autem Dux perseveravit, medioque autumno, eodem die quo Rector novus renuntiaretur, ad edocendam latinitatem publicæ Patrum scholæ constitutæ sunt. In vetere collegio ut ante edocuerunt; et in Academicâ Bibliothecâ Dux auditorium jussit comparari, in quo Grammaticam Rhetoricamque Patres docerent. Ut tamen in minimis satisfieret refragantibus, decretum est pueris licentiam dandam esse ex scholâ mane et vespere exeundi, ut in parochiâ suâ quisque adesset quotiescunque cantandi occasio contingeret. Nec longius eo anno Patres progressi sunt.

In ipsâ autem Academiâ Theologi duo *Covillonius et Tiræus* Psalmos Davidis Sententiarumque librum IV^{um} legere inceperunt, jussuque Principis etiam in feriis, quas Vindematorias vocant (1), in legendo perseveraverunt. Induxere acriter disputandi consuetudinem, quo destituta aculeo juvenum studia frigore et langore solent obtundi (2).

Mense autem Septembri, Pater e Societate novus Academiæ *Peltanus* adscriptus est, qui Græcam linguam Rhetoricamque doceret.

Insequenti autem anno, 1557, post comitia Ratisbonensia, litteras ad Theologos Ingolstadienses Dux Albertus misit, quibus rectam Academicarum fidem melius confirmaret, seque eos omnes benigne accepturum esse polliceretur qui doctrinâ moribusque insignes evaderent, « Boicamque asylum exsulantis virtutis patriam- « que veræ religionis commendaret » (3).

Haud semel, anno 1558 et 1559, apparuit quo studio Jesuitæ potiri Academiis exoptarent. Quum enim jam anno 1558, Pater

1. Adlzreitter, p 266.
2. *Ibid.*
3. Adlzreitter, p. 268.

quidam e Societate, Ingolstadii ne commoratus quidem, *Petrus Sylvius*, missâ epistolâ, postulavisset ut ipse in collegium Artisticum admitteretur, fuerat illi responsum statutis prohibitum esse ne quis admitteretur, « nisi esset et maneret in gremio, donec ma« gisterium suum assecutus esset, si advena esset, atque etiam « natales suos probaret, et præterea publice disputaret » (1). Anno autem 1559, quum Sylvius pertinacius idem efflagitâsset dictitâssetque ordini suo a Papâ fuisse concessum ut « recta collegiis Aca« demicis e Societate Patres adjungi possent, » Academicus senatus id non ultra curavit.

Re tamen ingravescente, magistri haud cunctati sunt quominus iterum quererentur. Quum autem in honore essent Jesuitæ, novam querendi rationem adhibuerunt. Professor quidam ordinarius *Volffangus Zettelius*, qui jam, anno 1551 (2), stipendium annuum vigiliis et laboribus minimum respondere questus erat, a magistris Monachium missus est qui dolentium querelas exprimeret.

Nec simplex erat querendi ratio, quippe quum « una et lucrandi panem et altiora studia prosequendi » occasionem magistri amitterent. Etsi tamen diligenter Wolfangus ad patronos Academiæ causam egit, integra res mansit. Alienissimum enim tempus erat, quum Jesuitæ, novæ studiorum rationis periculo facto, maximam apud omnes auctoritatem et gratiam essent assecuti, et nova Academiæ statuta, anno 1562 habita, magnâ ex parte ab illis reformata fuissent. Emendatio autem illa haud tam ad studiorum rationem quam ad morum habitum pertinebat. Haud immerito Academiæ vitio dabatur quod morum observantia levius curaretur. A principio, seu collegiorum seu Bursarum fundatione contra morum lasciviam provisum fuerat; quamvis tamen, statutis novis, regentium Bursæ munus Bursariorumque disciplina fuissent descripta, omnia turbulente in Bursis jampridem gerebantur. Quum enim regentium interesset quamplurimos in Bursis studiosos versari, haud obstabant quin licentiâ disciplina corrumperetur, eo scilicet occupati ut pro suâ quisque parte omnibus artibus ad se discipulos allicerent.

Prævalida quidem et adulta hæc vitia erant : ea enim *Ulrich de*

1. *Annales*, an. 1559.
2. *Annales*, I, 224.

Hutten acerrime olim reprehenderat; durante autem xvi° sæculo, in tanto rerum animorumque motu etiam invaluerant. Nec erant hæc vitia Ingolstadiensis Academiæ propria : iisdem Universitates aliæ, multoque aliis gravius Viennense studium laborabant (1). Nec immerito crimini regentibus magistrisque qui ad Bursarum regimen socii advocabantur dabatur quod « in infor-« mandâ litterariâ prole suæ curæ commissâ torpescerent » « eam-« que nec pietate, nec bonis moribus, nec rectâ disciplinâ imbue-« rent » ...eosque nimium laxis habenis sinerent adolescere » (2). Bursæ enim, ubi tempus processerat, se in diversoria mutaverant, quæ ad id unum proficerent ut simultates assiduas studiosos inter foverent, rixisque et duellis materiam singulis diebus præberent. Nec ea juvenibus utilitas ad studendum comparabatur quam quasi sequestratis juvenibus contingere æquum esset (3). Hæc omnia vitia, statutis anno 1562 reformatis, prœcidere patroni Academiæ in animo habebant.

Superiori quidem anno, Ingolstadium e consiliis suis nonnullos Dux misit, qui de pravis consuetudinibus emendandis cum Rectore, Senatu et professoribus omnium Facultatum convenirent (4) statutaque nova molirentur. Etsi ad quatuor Facultates statuta nova pertinent, pluribus verbis, ut æquum est, de Artisticâ Facultate disseritur. Artisticæ enim Facultati Patres præcipue prospiciebant; eâ enim potissimum publici mores et ingenium informari poterant. Operæ igitur pretium est ex præscriptâ magistris, præceptoribus discipulisque « intra et extra collegium habitantibus » disciplinâ augurari quæ futura sit eorum in posterum conditio.

Quum igitur propter gratis habitas lectiones plurimum Patres valerent, id primum curârunt ut sumptus quibus juvenes onerarentur temperarent. Quid mirum est si in his statutis, quibus ipsi componendis consuluerint, hæc verba occurrant : « Juventutem

1. V. R. Kink. *Geschichte der Kaiserlichen Universität zu Wien.* 2 B. in 8. Wien, 1854.

2. *Præliminaria pro reformandis statutis*, 1562. *Annales*, IV, 295.

3. « Certâ experientiâ perspectum atque cognitum habemus, studiosorum quamplurimos, imprimis vero canonicos quosdam... negligenter admodum, turpiter et ad eum quidem modum se gerere ut in œnopoliis longe crebrius quam in scholis deprehendantur, ut in plateis plus oberrent quam libris insideant. » Præliminaria, p. 308.

4. *Ibid.*, p. 296.

« faciendis expensis atque solvendo Minervali hactenus supra modum gravari. »

De regentibus Bursarum sive præceptoribus statutum est. Rectoris erat præceptores observare, quid agerent; quumque eam præcipue ob causam in bursis licentia invaluisset, quod, præceptoribus seu in audiendo seu in docendo occupatis, sine custodiâ discipuli agerent, prohibitum est ne decem, ad summum, discipuli uni præceptori comitterentur; præceptumque est ut eos ad lectiones publicas, simul ac id fieri posset, præceptores ipsi adducerent; publicisque lectionibus privatæ in bursis lectiones, quasi supplementum, adderentur.

Imo Superintendens a Duce Academiæ delectus est qui Ducis nomine « in hoc diligenter incumberet ut Universitatis bene constitutus ordo et pacata tranquillitas conservaretur. »

Eodem tempore, duo Jesuitæ *H. Arboreus et Alphonsus de Pineda* ad gremium Facultatis Artisticæ recepti sunt, qui Græcam linguam et Philosophiam profiterentur (1); nec inde insolenter istius modi promotiones eveniunt.

In dies enim magis ac magis Artistica Facultas fit quasi Societatis Jesu propria : sine morâ ibi Patrum invaluit auctoritas, et si quis ad examina procederet, haud secus ac in Theologicâ Facultate, in Artisticâ de candidati fide, de sincerâ illius religione magis ac magis quæstio erat. Ita occasio contra Jesuitas decertandi professoribus nonnullis data est, annoque 1564, Artisticæ Facultatis professores (2) epistolam ad Erasmum Wendium miserunt quâ quererentur quod :

« Domini de Societate J. ad honorem et gradus scholasticos admittendum censeant, nisi qui recta atque repente falsam de pietate opinionem abjuraverit : qui rigor atque asperitas quum lenes, modestos et tractabiles animos juvenum potius excitet atque obstinatos reddat quam mitiget, scholariumque et præcipue candidatorum numerum vehementer imminuat. »

Confitentibus ipsis professoribus, compertum habemus in Facultate Artisticâ, quum de examinibus ageretur, nullo modo de reli-

1. Mederer, I, p. 273.

2. Etsi prona in Jesuitas Mederi voluntas est, non memorat professores exstitisse qui a cæteris in eo discrimine dissenserint.

gione aut candidati fide antea fuisse inquisitum; fidei autem ante omnia Jesuitas consuluisse : ita jam apparet quas ob artes intergerrimæ fidei notâ Academia Ingolstadiensis insignis postea futura sit. Quum epistolam professores, die 5 Julii, misissent, die 9 Wendius responsum dedit, et « unis litteris totam tempestatem dif- « flavit. » Libentissimo enim Duce Patres utebantur, et paulo post, quum ad philosophiam edocendam professor quidam eligendus esset, id munus cuidam ex Jesuitis Dux commisit. Quanta autem apud Academiam Ducis auctoritas esset, paulo ante *Staphyli* Theologiæ professoris exemplum documento fuerat. More antiquo servato Staphylum, quia uxorem duxisset, decanus Theologicæ Facultatis in professoris locum admittere noluerat, « ne si homo conjugatus con- « tra Universitatis privilegia res theologicas tractaret, schola In- « golstadiensis male audiret (1). » Staphylo contra e Lutheri partibus ad catholicas converso (2) Dux et Papa simul favebant; quumque illi, ut conjugato, doctoratûs diploma Ingolstadiensis Academia non concessisset, illum Papa Theologiæ doctorem « splendido misso diplomate per archiepiscopum Salisburgen- « sem renuntiaverat (3). » Dux eum Ingolstadii professorem qui « vel historias, vel bonas litteras, vel res Theologicas doceret, » inspectorem etiam Scholæ eum constituit. Ad hoc tantum professorum infensi animi pertinuerant ut auctoritatem Staphyli, adhibito tam insignis apud Ducem gratiæ documento, communirent.

Anno 1567, inter Jesuitas Facultatemque Artisticam certamen quam maxime iteratum est; imprimis inter *Vitum Jacobæum Laudanumque*, poeseos humaniorumque litterarum professores, et Patres *Arboreum et Ursinum* Logicæ physicæque professores. « Ca- « put controversiæ in eo vertebatur quod circa rationes acceptorum « et datorum cameræ ejusdem Facultatis, item circa electionem « examinatorum inter utramque partem esset observandum. » Quum Dux M. Eisengrino Canisioque rem dijudicandam commisisset, male forsan temperati fuissent animi, nisi rei duo Jesuitæ implicati, ne vehementius contra Societatem Academia incende-

1. *Annales*, I, p. 262.
2. *Agricola*, I, p. 65.
3. Itterus. *De Honoribus sive Gradibus Academicis liber*. Francofurti ad M. 1698, p. 166 et 246.

retur, declaravissent se, suo et successorum nomine, et honoribus et oneribus Facultatis philosophicæ exuere, senatuque et gremio ejusdem Facultatis abdicare; nec ad quidquam « obligari, nisi ad profitendi legendique munus. » Eodem die, per speciem reconciliatæ voluntatis convivium celebratum est resque compositæ visæ sunt. Jesuitæ ergo ad id, quod videbatur, adducti erant ut, omni dominationis periculo amoto, tantum ad communem Academiæ utilitatem conferrent. In irritum brevi ea spes cessit, præsertim quum, in eodem discrimine, Dux decrevisset Jesuitis « in Solennibus et « concionibus debitum locum et dignitatem fore reservandam. » Non tamen idoneo tempore Academici contra Societatem rem aggressi erant; nunquam enim strenuos magis pro religione conatus Albertus adhibuerat, et illi his verbis Cardinalis *Hosius* grates agebat : « Aula celsitudinis vestræ schola quædam pietatis esse « videtur; ex quâ velut ex equo Trojano prodeunt fortissimi milites « qui, verbo et opere errantes populos ad fidem Christi revocare « contendunt (1). » Ab illis omnibus Dux pro Mæcenate habebatur, qui se ad defendendam catholicam fidem tradidissent; nec ipse dedignabatur Lutheranos ad catholicas partes revocare, ut exemplo est *Andreas* ille *Ligfalzius* inter optimates Bavariæ insignis (2). Quum anno 1568 Maximilianus imperator, « diversam « facilitatis viam ingressus, nobilitati Austriacæ Confessionis Au- « gustanæ libertatem permisisset (3), » dedit operam Albertus ut arctiori etiam vinculo cum Ecclesiâ catholicâ Academia Ingolstadiensis jungeretur, et a Papâ Pio V bullam rogavit, quâ Pii IV decretum in usum deduceretur : « Neminem inter professores Aca- « demiæ fore admittendum aut aliquid honoris litterarii insigne « fore impetraturum nisi jurejurando affirmaret fidelem Ecclesiæ « Romanæ filium se esse foreque. » Etsi tantum de consilio die 23 Martii habito Rotmarus mentionem facit (4), duo habita sunt consilia. Teste Adlzreittero, quum a Papâ Pio supradictam bullam accepisset, die 25 Januarii anno 1568, « professores *omnes* in æde « Deiparæ Virginis (5) » advocavit; ibique « omnes » se ex Pontificis

1. Adlzreitter, p. 275.
2. *Ibid.*
3. *Ibid.*, p. 276.
4. Rotmar, I, 313.
5. Adlzreitter, p. 277.

mente esse et fore « orthodoxæ religionis cultores » professi sunt. Nec ea fuit professorum propria solennitas; civici enim senatores, duobus exceptis, multique sacerdotes et monachi ibi eodem se sacramento obligarunt; sed die 23 Martii mensis, præsentibus senatoribus Academicis, professoribus et vicario quodam Episcopi Eystettensis legatoque Ducis, rite Pontificalis bulla promulgata est. Ita in perpetuum Catholicæ fidei Ingolstadiensis Universitas dicabatur, et ex illo tempore in eâdem semper fide constitit. Si qua Agricolæ fides adhibenda est, usque ad id tempus multi soliti erant apud Ingolstadiensem Academiam versari Lutherani; quumque ab illis acriter reclamatum esset, paulatim omnes Ingolstadio discesserunt. Mediocris tamen fuit jactura, quando undique, vel ex Sarmatiæ finibus, Catholicæ fidei acriter addicti juvenes Ingolstadium, quasi ad suam potissimum sedem, convenirent.

Rebus eodem pertinentibus, anno jam 1570, manifestius apparuit quo consilio Dux Artisticam haud secus ac Theologicam Facultatem Jesuitarum arbitrio permitteret. Anno jam 1570, Rhetoricam docere in Academiâ inceperat *Rheinerus Fabricius* (1) occasioque fuerat data recrudescentis offensæ apud externos professores. Insequenti anno, ad Generalem *Franciscum Borgiam* litteras Dux misit quibus declararet (2) : « Se nihil jam cupere quam plura Societatis « collegia, et eorum quæ jam erecta essent majorem auctoritatem « et dignitatem ; — plurimum interesse pueros iisdem viris, morum « ac pietatis magistris, simul uti ; — se jam cum Patribus consi« lium inivisse ut Pædagogici Academici ac Philosophici cursûs « curam et sollicitudinem in sese reciperent ; unius anni primum « spatio, quo facilius fieret rei periculum, ut deinceps firmius et « certius constitui possent omnia quæ in rem et quietem Societatis « cogitaret. »

Anno 1526, juxta Academiam, a Senatu Universitatis Pædago-

1. Quasi consulto tacent de Rheinero Fabricio Rotmarus et Mederus. Inter novos professores sine ullâ aliâ commemoratione inscriptus est.

2. « Litteræ Seren. Ducis Alberti ad P. F. Borgiam... quibus eidem « pollicetur se facturum ut tam Facultas Theologica quam Philosophica a So« cietatis arbitrio dependeat ». *Ann.*, IV, p. 324.

Litteræ an. 1571 datæ sunt, mense scilicet Januario aut ineunte Februario. Edicto enim prius missæ sunt cui « *Befehl an die Universität* » inscribitur. Constat autem edictum id die 17 Februar. datum fuisse.

gium fuerat fundatum « in quo ad duas quotidie horas Græcæ La- « tinæque linguæ rudimenta traderentur ». De hoc scilicet Pædagogio, Academiæ quasi seminario, scholâque magistris Artium peculiariter reservatâ in his litteris Alberti agitur. Ut e Societate magistri inter professores Academicos admissi fuerant, ita æquum esse videbatur Patrum scholas in Pædagogium, « inque illius nomen, jura et privilegia adscribi » (1). Diplomate Ducali die 30 Januarii mensis dato, in unum Cursus Philosophicus et Pædagogicus conjuncti sunt (2).

Iteratim Dux, seu in epistolâ ad Borgiam missâ, seu in diplomate (3), professus erat periculum modo, uno anno durante, rei faciendum esse ; rem autem integram, facto periculo, fore mansuram. Tunc autem longius Jesuitæ progressi sunt : quodam enim modo Societas tanquam pars Academiæ habita est, Societatisque auctoritas in Academiæ auctoritatis locum successit. Decretum enim est, anno 1572, « Pædagogii cursûsque Philosophici gubernatio- « nem penes ipsam Societatem plane permanere, tanquam penes « membra et partem Academiæ. »

Magnis tamen in communem causam officiis immodica illa compensabatur auctoritas : usque ad id enim, sponte suâ, juveni cuique, quas ipse elegisset, lectionibus adesse licebat; sœpiusque difficilioribus, quam ferre possent, lectionibus sese implicabant; vel, aliâ ratione, per judicii inopiam, temporis sumptuumque jacturam faciebant. Feliciter in hoc, auctoribus Jesuitis, res mutatæ sunt : decrevit enim Albertus « ut inscribendus quisque novus studiosus a Rectore, adstantibus Decano Facultatis ad quam inscriptus esset unoque e Patribus, arcesseretur; ibique quid jam didicisset inspiceretur; confecto demum examine, « cum scripto testimonio ad « Patres studiosus mitteretur, qui classem illi convenientem da- « rent ». Re quâdam Rectori impedimentum afferente, Decanus in illius locum procedere debebat « a quo, adscripto sibi uno e Socie- « tate, idem servaretur quod jam dictum est » (4).

1. *Agricola*, I, 135.
2. « *Fürstlicher Recess, den cursum Philosophicum und das Pædagogium betreffend* ». *Ann.*, IV, 326 à 333.
3. « Illustrissimi Principis sententia super negotio pædagogii cursûsque philosophici ». *Ann.*, IV, 335.
4. *Annal.*, IV, 336.

Ea consuetudo erat ut professores omnes Academiæ Jurejurando fidem darent de Academico bono et emolumento, quantum et ubicumque possent, promovendo. Jampridem hoc jurandi munus Jesuitæ ægre tulerant, « et ne aliis demum juramentis obruerentur, aut conscientiæ cum periculo distraherentur » (1) a Duce impetraverunt ut a Juramentis Academicis libera et immunis foret Societas. Si quis tamen e Societate « consilio senatuique Academico adhiberetur, » necesse habuit « præsente Rectore suo silentii et sinceritatis fidem solennibus verbis jurare. »

Ea ita Jesuitis immunitas concedebatur quam gravissime professores Academiæ ferrent. Imo Societas, suâ in Pædagogio auctoritate constitutâ, omnia litterarum elementa et cursum una Philosophicum præoccupabat. Ea semper Jesuitarum mens fuerat nullo modo insignes Theologos, omisso Philosophicæ Facultatis auxilio, posse informari; et ad id spectaverunt ut in eâ omnino dominarentur. Multis autem gradibus progressi sunt, quumque ab initio inferiores pro adolescentibus scholas inchoare satis habuissent, paulatim disputationes philosophicas, saltem privatas, uti et Theologicas, extra Academiam, in suâ scilicet domo habendas constituerunt. Nec stipendiarii modo disputationibus istis aderant, sed quicumque alii quos in litterario studio profectum juvabat quærere.

Privatim ergo quid ipsi valerent experiri solebant, antequam in publicum prodirent; postea prospero eventu incitati, exercitationibus publicis, declamationibus, quæstionibus, juvenum animos ad æmulandum accendebant, studiumque ita omnium aucupabantur.

Anno 1568, a Duce Alberto *Renatâ de Lotharingiâ* in matrimonium ductâ, Monachio sacram tragædiam e collegio Patrum juvenes egerant : (Samson videlicet, interjectis de amissi humani generis amatore mortisque per mortem triumphatore amænis expositionibus (2).)

Attamen haud dubium erat quin, simul ac decretum anno 1572 habitum publicatum fuisset, professores Academiæ acerrimos adversarios Jesuitæ haberent. Reliqui enim professores Academici, qui ita auctoritate gratiâque impares erant, legatos quatuor Monachium

1. *Ibid.*, p. 3 3
2. *Agricola*, I, 110.

miserunt, qui omni operâ niterentur ne decretum illud sortiretur effectum.

Postquam aliquantum ab illis quatuor legatis Monachii res agitata esset (1), Ingolstadium iterum est reportata. Notatione dignum est quod Rotmarus, eo tempore professor ordinarius et eidem liti contra Jesuitas implicitus (2), de re omnino siluerit. Solus Mederus effecit ne ea omnia silentio obruerentur : attamen rem aride, eâdem ratione iisdemque fere verbis, quibus ipse Agricola, usus narravit. Insuper est animadvertendum quod, qualemcumque se in hoc discrimine Rotmarus habuerit, vehementer occasione omni Jesuitas idem miratus sit, illorumque partes tenuisse videatur. Forsan ex illius exemplo conjectari potest quales se professores cæteri habuerint, postquam in irritum se fore decertaturos intellexissent, Jesuitæque fortiter Academiam occupassent.

Certamen illud, Jesuitarum discessionem reditumque quam paucissimis Adlzreitterus retulit. Sola ergo Agricolæ narratio nobis in manibus est, quæ, etsi ordine multa edoceat, multum, nec forsan inconsulto, dubitationis habeat.

Huc quidem quatuor legatorum missionem recidisse manifesto est, ut quatuor causæ cognitores, Cancellarius scilicet Simon Eckius, Wigulus Hundius, Onaphrius Perbingerus et Erasmus Wendius Ingolstadium mitterentur. Eckii Hundiique fidem sœpius Patres jam perspexerant, Wendiusque unus ex illis fuerat quorum operâ Jesuitis Pædagogii administrandi munus contigisset. Eo igitur mirum magis est quod Eckius, in hoc discrimine, Patrum causam impugnaverit. Agricolæ satisfecit excogitâsse legatorum animos, quum Ingolstadium advenissent, ab adversariis Patrum fuisse præoccupatos: nullum ita rebus lumen adhibetur. Simul ac Provincialis *Hoffæus* quos spiritus legati gererent audivisset, Monachium propere iter habuit, eique Eckius renuntiavit « decessurum se potius « officio et aulâ quam retractare quæ in pleno senatu Ingolsta« diensi constituta, jamque etiam publicata essent » (3). De quibus

1. Mederer, II, 10.
2. « Rotmarus, qui ipse in partibus fuit, hanc controversiam silentio dissimulat, contra ac ponit officium integri scriptoris ». Adlzreitter. Pars II, p. 280.
3. *Agricola*, I, 146.

autem in pleno senatu jam constitutum esset jamque publicatum, incertum est. Constantissimi in sententiâ animi famam Eckius subierat; Hoffœus igitur non cunctatus est quin confirmaret satius fore Patres causâ et loco cedere dum eo Eckius perstaret ex quo « so-« lita in Societatem tuitionis et amoris fluenta derivare possent » ; remque facillime componi posse si Monachium Philosophicæ Pædagogicæque scholæ deferrentur.

Academici autem cleris ex Ingolstadianâ Diocœsi adjutoribus usi sunt : quum enim novus collegii Regens, *Johannes Rabenstein*, commisisset ut matutino tempore in sacello Academico conciones haberet, ægre tulerant parochiarum cleri ita ex aliis templis auditorum copiam avocari, injuriamque simul ad Ducem et ad Episcopum conquesti sunt. Jesuitis, Monachium migrantibus, omnia componebantur negotia; sententiam mutare Eckius non cogebatur, nec Patribus, quos adeo diligeret alienabatur. Re autem adhuc infectâ, gravius certamen evasit. Anno 1573, R. Fabricius e Societate eloquentiæ professor, decanatum Facultatis Artisticæ gerebat. Is, quum Senatûs philosophici patres ad consilium pro more vocasset, misso ad conventus senatorios indicendos diplomate, duorum professorum nomina prætermisit, quorum alter linguam Græcam doceret, alter Aristotelem legeret. Consulto quidem Decanus eorum nomina prætermiserat, ob eam causam quod Aristotelis exponendi munus novum omnino in Academiâ esset, et Cancellarius nihil ex antiquo movendum esse censuisset. In duas igitur partes Academia discessit; Reinerus de senatu ejectus est inque illius locum novus decanus suffectus est. Opportune igitur a Româ Hoffœus regressus est ne ad extrema certamen evaderet. Per Eckium Duci *Everardi* Generalis epistolâ redditâ, omnium consensu Senatores Aulici Hoffœi postulationi concesserunt, eâ tamen conditione, ut derelicto Ingolstadio, Monachium publicæ Patrum scholæ deferrentur.

Omnibus ergo ad pristinum statum revocatis, pridie S. Michaelis, anno 1573, ex Ingolstadio Jesuitæ discesserunt, illi scilicet qui, apud Academiam Rhetoricam, Dialecticam, Physicam, Philosophiamque docerent, una cum Pædagogii præceptoribus. Discipulorum autem magna pars Monachium migravit : illorum quibus Theologicum cursum consummare in animo erat, alii Hallam, alii in Italiam se contulerunt : novissime autem accepti, qui cursum

philosophicum inierant, *Vizanio* traditi sunt, qui eos intra « pa« rietes domesticos » usque ad cursûs peractionem edoceret. Apud Academiam duo modo Theologiæ e Societate professores, ut ab initio constitutum fuerat, perstitere.

Ita Academici studia omnia Ingolstadii recuperaverant, nec jam æmulantium diligentiâ sollicitabantur. Exactis tamen Patribus, intellexit Senatus Academicus pernecesse esse eximios professores in vicem exsulantium advocare. Dialecticam Physicamque docendi duobus Academicis provincia facta est; interea tamen, Universitatis nomine, litteræ ad *Lyresium* missæ sunt, olim in Ingolstadiensi gymnasio magistrum, tunc in Belgicâ commorantem, ut, maximâ scilicet diligentiâ, professorem quemdam Philosophiæ Oratoriæque « illos quidem excellentes (1), » conduceret. Hæc potissimum verba indicio sunt quanti studiorum ratio a Patribus habita æstimaretur, et quam grave ab omnibus haberetur illorum in locum succedere.

Insignem tamen in hâc rerum necessitate prudentiam Patres adhibuerant. Haud enim dubium erat quin, brevi elapso tempore, omnes desiderium illorum teneret. Post illorum discessum Pædagogio magistri Artium soli potiti sunt, et quamvis de rebus ad temporis illud spatium pertinentibus Annalium scriptores siluerint, constat in questus Ingolstadii incolas paulo post fuisse effusos. Diversissimis ex rebus desiderium illud Patrum effectum est : si quis ad recte excolendam religionem spectaret, non ii videbantur laïci professores, qui in Societatis illius locum succederent, proprie ad catholicæ fidei partes tuendas informatæ. Insigni in docendo prudentiâ et in arte pædagogicâ Academicis Patres præstabant. Cives denique ægre ferebant graviori impensâ ad educandos pueros se onerari, et gratuito habitas scholas requirebant. Paulatim extraneorum discipulorum decrescente numero, ea pars civium qui conductis domiciliis aut acto mercatu vitam tolerabant rem male gerebant. In proximo autem, Dilingæ (2), ubi Jesuitis sollicitudo nulla structa fuerat, satis constabat tam magnum Juvenum concursum esse ut scholarum ædibus accessionem adjungere necesse fuisset.

1. Mederer, II, 10.
2. Hic de collegio agitur a Canisio an. 1563 Dilingæ fundato.

Res, insequentibus annis 1573-74-75, etiam deterior facta est. Revera si studiosorum eo temporis spatio inscriptorum catalogus inspicitur, haud multum inter superiores et insequentes annos interest. Si enim anno 1568, 224 Juvenes inscripti sunt, anno 1569, 190 modo apparent; anno 1570, 180; 1571, 95; 1572, 155; et durante Patrum exsilii spatio (1573-74-75) Juvenes 164, 161, 127 numerantur. Attamen si quis ad insequentes annos 1576-77-78, spectat, fit numerus frequentior (225; 255; 202), et usque ad istius sæculi finem, raro intra 200 numerus fuit, imo semel supra 300 evasit.

Nec tamen hâc præcipue numerorum comparatione fides Jesuitis major additur; etenim præter illos qui Academiæ adscripti erant, ii omnes erant annumerandi qui, frequentandæ Academiæ adhuc impares, scholas modo inferiores in Collegio et Pædagogio celebrarent, et quasi peculiares Patrum discipuli versarentur (1). Etsi anno tantum 1576 Ingolstadium Patres reversi sunt, haud dubium est quin, multo jam antea, omnium se immutavissent animi; nec desiderii istius professores ipsi fuerunt expertès. Plurimum ad id grave facinus, anno 1575, valuit. Mense enim Februario orta est inter studiosos aliquot et vigilum agmen nocte pugna. Quamvis vigiles et multitudine et armis longe forent superiores, a studiosis verberibus cæsi sunt et ad id adducti ut et Academicorum et civium opem implorarent. Vigilum unus occisus est. Etsi difficile est scire utrum res singula hæc exstiterit, an ex hoc colligi possit qualis disciplinæ mollitia et præceptorum incuria fuerit, rem tamen magna consecuta sunt. Dictitabant, Rectore Canisio, mores studiosorum acriter fuisse coercitos. Medero teste, jam anno 1575 (2), petierant senatores ab Alberto Duce ut Ingolstadium iterum Patres Academici migrarent; urbisque præfectus magistratusque querelam de senatu Academico habuerunt. Eodemque anno, quum Dux venandi causâ Ingolstadium se contulisset, haud morati sunt Academiæ senatores quin ab illo peterent ut cursus Philosophicus Pædagogicusque Patribus iterum committeretur (3). Sed comitia

1. « Quum ex eorum absentiâ paulatim nata est in Academiâ Ingolstadiensi solitudo tanta ut docentibus auditores potius quam docentes auditoribus quærerentur... » Adlzreitter, p. 280.
2. Mederer, II, 29.
3. *Ibid.*

Ratisbonensia, eodem anno habita, impedimento fuerunt ne res continuo explicaretur.

Mense Januario, anno insequente, res de integro renovata est; duoque Consiliarii ducales, *Erasmus Vendius et G. Lautherius*, delecti sunt qui cum Hoffæo pactiones conderent in quas Patres Academici omnes consentirent.

Concessum est in conditiones ut :

Societas cum externis Philosophiæ professoribus, pari jure etiam suffragii in senatu, cathedris tam Philosophiæ quam Pædagogii restitueretur. — Non exigeretur sacramentum. — Qui gradu Magisterii insigniri vellent, triennium audiendiæ philosophiæ impenderent.— Liberum esset scolaribus vel religiosos audire professores, et e lectionibus Patrum ad lectiones sæcularium transire et vicissim, dum id fieret conscio professore a cujus lectione recederent. Ad hoc accedebat novissimus ille, maximeque notandus articulus, etsi de illo Mederus nihil retulerit. Auctore Agricolâ accepimus professores aliquot fidei formulam in Tridentino concilio conceptam « ut grave jugum » ægre tulisse et contendisse ut tolleretur. Pronuntiaverunt autem Jesuitæ formulam « salubre remedium esse conservandi « (quod unice volebat princeps) Academiam puram ab hæresi et « in religione integram, » seduloque fore servandam. Quod ubi frustra tentatum est, nihil jam experti sunt professores ne Romanæ Curiæ imperio Universitas subderetur. Ita quod et ad studiorum rationem et ad fidei integritatem spectat servandam, Societatis Jesu confirmabatur dominatio.

His conditionibus, uno consensu, Medero teste, Patres *omnes* Academiæ assenserunt; et Eisengrinus, cui munus erat commissum decretum illud promulgandi instituit Hoffæo ut Patres ante finem æstatis Ingolstadium regrederentur. Prioribus enim anni 1576 mensibus duo Philosophiæ et quatuor Pædagogii professores e Monachio Ingolstadium advenerunt. Eodem anno Ingolstadium Canisius iter fecit, profecto confirmandæ paci stabiliendoque suorum imperio consultaturus.

Rebus ita immutatis, haud fieri non poterat quin, singulis annis, inter novos professores Jesuitæ nonnulli adscriberentur. Haud facile dici potest quot priores professores Jesuitis adversati fuerint. Attamen illi potissimum Jesuitarum partibus favisse videntur qui inter præstantissimos professores numerarentur, quorumque magnificis

encomiis annales referti sunt. Primum inter illos obtinet locum Eisengrinus.

Nec tamen Patres modo Academici ad arctiorem illam Catholicæ fidei observantiam inclinabant : spiritus eosdem Dux, et qui circum Ducem versabantur gerebant, et præcellentes opibus et auctoritate *Fuggeri* solerti Canisii operâ acerrimi Jesuitarum fautores evaserant (1). Quum plerique ita essent animati, instigante S. Eckio (2), iterum anno 1578, ab Inquisitoribus Bavaria tota lustrata est, qui funditus Lutheranas partes opprimerent; eo potissimum consilio ut Ingolstadiensis Academia ab incerto quoque vindicaretur. Eâ tempestate, Mathematicus *Philippus Appianus* ab Ingolstadio discedere coactus est.

Ea visitatio, ut Rotmari verbum usurpemus, « e primariis civi- « tatibus ad inferiora etiam oppida omniaque castella, vicos, pagos « et singulos pene Bavariæ angulos pertinuit. » At si quis in Lutheranis partibus perstaret, « salvis illius bonis, ne tyrannis insti- « tuta videretur, » e Bavariâ excludebatur (3).

In Academiâ Ingolstadiensi restitutis Jesuitis amplior etiam quam antea auctoritas contigit. Anno enim 1576, novæ fundationis litteræ sunt concessæ, quibus, ut pro ratione in rempublicam positorum beneficiorum Principis largitiones augerentur, bis mille quingenti florenorum additi sunt, ut possideret collegium stipendium quatuor mille florenorum Rhenensium. Institutæ sunt in eodem collegio « pleni Pædagogii scholæ absolutissimæ », ut quasi duplex studiorum ordo haberetur : 1° ad eos erudiendos qui, ingenio fortunis, doctrinâ eminentem locum assequi possent, ideoque ipsi Ecclesiæ et Reipublicæ Christianæ bono essent; 2° ad illos qui « tenuioris fortunæ aut ob originis vilitatem, » ad rurales Parochias, conciones et alia in Republicâ minora officia peculiariter informarentur (4).

Adeo tamen in docendo Patres excellebant ut circa annum 1585 quodam modo vastaretur Pædagogium. Quum, anno 1576, collegium novum fundatum esset, Pædagogium Jesuitæ laïcis præcepto-

1. Raderus. *Vita Canisii*, p. 94.
2. Rotmar, II, 41.
3. *Ibid.*
4. *Annal.*, IV, 348-349.

ribus totum remiserunt; id tamen aliquando ante curaverunt ut, in ipso Pædagogio, propriæ studiorum rationis exempla proponerentur. Experimenti, ut dictitabant, capiendi causâ, quinque laïcis magistris, plerumque conjugatis, qui in Pædagogio litteras humaniores docebant, quinque professores e Societate, collegæ adjuncti sunt, « iique ea dederunt scientiæ, moderationis, industriæque specimina » ut, a Pædagogio discedentibus Jesuitis, quamvis licentia puerorum parentibus daretur ad quamlibet scholam pueros mittendi, omnium studia ad Jesuitas aperte inclinaverint. Facta est inde Pædagogii tanta solitudo ut ipsi Pædagogii magistri rogarent ut in unum diversæ scholæ coalescerent.

Eodem anno 1585, in ultimo discrimine res Academiæ versatæ sunt. Mense septembri Guillelmi Ducis commissarii, *A. Vetterus, Liechthenauerus et Millerus*, Ingolstadium se contulerunt; in domum, ubi diversabantur, professores Academicos, unaque Notarium *Hafnerum* advocaverunt, factâque concione a Decano Facultatis Artisticæ, duobusque professoribus *Engerdo et Wolfango* ut Facultatis Artium rationes redderent. Præceperunt ut sibi omnia ad Facultatem pertinentia, sigilla, diplomata traderentur; eosdem denique professores exauctoraverunt, omnesque illis Academicos honores ademerunt.

Eodem die in curiâ Academicâ consilium generale advocatum est; jussuque Principis, Rector reliquique omnes professores *G. Phedero, Johannique Perio*, Mathematices, Philosophiæque professoribus « integram Facultatem Theologicam » cum sigillis, statutis, arculâ..... » tradiderunt. Quo facto Fabricius, oratoriæ dialecticæque professor, et *Balthasar Hægelus*, philosophiæ linguæque sacræ professor fuerunt in Facultatem recepti. Ita, compendii Jesuitarum causâ, funditus immutata iterumque novo ex consilio restituta Facultas Artistica fuerat.

Hæc ita, obscure quidem, narrat Mederus (1). Illo enim temporis intervallo, quod ab anno 1576 ad 1585 pertinet, nihil est causæ cur talem fore exitum suspicari liceat. Vix probabile est causam adeo gravem rei fuisse ut, exacto sæculo, Mederus eam memorare dubitaret. Propius est fidem audaci improvisoque consilio ad quod tacite jampridem cogitationes omnes contulissent, Patres felici So-

1. *Annal.*, II, 101-102.

cietatis fortunæ consuluisse. Hæc modo verba Mederi accepimus : « gravis sane culpa in Universitate nostrâ, seu in Philosophicâ po-« tius Facultate acta est (1). » Perplexe ipsi e Societate scriptores rem tradiderunt : apud Agricolam vix hæc verba invenimus : « in « Academiâ ex ejusdem Principis voluntate soli nostri mathesin « dialecticamque tradere cœperunt. Soli nostri Artisticæ seu Phi-« losophicæ Facultatis administrationem susceperunt absque onere « absque obligationibus (2). »

Inde fere totam Academiam occupârunt : imo totam jure dixeris ; quamquam solertissime quidem « tempus modo ad hoc ipsis conces-« sum esse dictitarent ut specimen quasi darent et experimentum « suæ professionis (3). » Tres annos experimentum illud, de quo quem eventum obtineret nihil esset dubium, produxerunt. Anno tantum 1588 soli in perpetuum Academiâ occupaverunt.

Hoc scilicet temporis intervallo, haud mediocriter ex usu Jesuitarum evenit ut tres Ducis Guilhelmi filii Ingolstadii edocerentur. Die denique 27 Januarii mensis, anno 1588, Dux Guilhelmus privilegium promulgavit a quo « quemadmodum e Facultate Artisticâ « Facultates omnes principium ducerent, » necessarium imprimis esse profiteretur « Facultatem Artisticam bene componi et infor-« mari debere ; jam tunc, et in perpetuum, artes et Philosophicæ « lectiones in litteris humanioribus tam Græcis quam Latinis et « Rhetoricis Philosophisque, Ethica, Mathematica, e Societate « Patribus fore committenda, ut secundum Instituti illius sapien-« tiam et vim dirigerentur (4). »

Editis istiusmodi mandatis haud fieri poterat quin professores Patribus aperte adversarentur ; imo jampridem intellexerant se in irritum contra fore repugnaturos, et sese paulatim ad novas illas partes erant transgressi. His enim verbis usus est Agricola : « mi-« nime ingrato etiam cæteris Academiæ patribus beneficio, — ut « inter quos et socios magna tunc erant animorum consensus et « amicitia. »

Jam inde simplex et tranquillus Ingolstadiensium annalium ordo

1. *Annal.*, II, 101.
2. *Agricola*, I, 289.
3. *Annal.*, II, 101.
4. *Privilegium, oder Befehl an die Universität Ingolstatt. Annal.*, IV, 360.

explicatus est : Ingolstadium quasi arx Catholicæ doctrinæ et quasi in superiore Germaniâ Pontificalis auctoritatis præsidium evasit. Ab anno 1588 ad 1618, donec bellum illud Tricennale exortum est, triginta anni elapsi sunt : temporis scilicet spatium satis longum ut in suâ fide Catholicorum animi informarentur et a resistendum pararentur. Accedit etiam ut Ingolstadii Imperator Ferdinandus II fuerit edoctus ; nec quemquam fallet quanti momenti in rebus Bavariæ totiusque Germaniæ moderandis Ingolstadiensis Academia exstiterit, aut quem in modum peculiaris istius Academiæ historia ad communem rerum Germanicarum totiusque Europæ summam pertineat.

Ergo Ingolstadiensis Academia in hoc sæculo ostendit quasi breviarium commutationum quas, eâ tempestate, omnibus Germaniæ Academiis subire necesse fuit. Quæ quidem, nata quum sit in gravi rerum omnium discrimine, primis tamen historiæ suæ temporibus, veteris ingenii veterisque studiorum rationis spectaculum præbet ; sed brevi tempore novæ res in eam irrepserunt Humanismique prima fecit pericula. Qui licet Humanismus non sit a præstantis ingenii viris Ingolstadii illustratus, nihilominus virorum, inter illustrissimos, nomina Ingolstadiensi Universitati non aliena fuerunt. Non admodum huic alienus est Erasmus ; saltem quanti idem valeret Academiæ moderatores intellexerunt, eumque plurimi fecerunt ; Reuchlinusque ibi, duos annos, doctrinæ suæ præcepta explanavit. Nullum sane eximium opus notandum est cujus vivax apud recentiores permanserit memoria, et ex omnibus litterariis operibus de quibus mentionem feci, nullum prope est quod propriis dotibus laudem assequi meritum sit.

Attamen Theologos inter et Humanistas discrimina temporum discrimen acriter ostendunt ; novarum scilicet rerum initiis adsumus, et, ut fieri solet, acerrimis certaminibus, quibus se tueri conetur disciplina periclitans.

Mox, quum non jam anceps victoria pendet, antiqua ipsa Theologorum societas artes suas mutat, et, nedum resistat, dat operam ut animorum motum dirigat. Toto animo studiis incumbunt theologi, fiunt eruditi quo plurimum polleant ; et ex ipso fervore quo Hebraicam linguam discunt, intelligere est quamdam imminere, vel apud eos, mutationem et in eo esse ut erumpat. Itaque dum alii se acriter ad profanas litteras et ad paganam antiquitatem

convertunt, alii, non minori studio ad sacras litteras, et ad discussionem et diligentissimam scripturarum investigationem se conferunt. Hæc animorum ingeniorumque agitatio profanæ pariter et sacræ prodest antiquitati, talique modo, his adversis conatibus, ipsâque studiorum diversitate, ambæ partes æque paratæ sunt ad tuendam armis recens incusis, aut expugnandam Reformationem. Clauditur hic prima periodus. Jam enim consenuerunt voces illæ, Nominalista et Realista, quæ in principio reperiuntur, et ea fuit mutatiô ut primi doctores anno 1472 Academiæ adscripti ægre Academiam quadraginta post annos recognoscerent.

Secunda periodus fortasse etiam insignior apparet; namque si, vel in cæteris Academiis, Humanismi origines reperire est, nulla tamen exstitit quæ, Reformationis temporibus, firmiorem habitum quam hæc Ingolstadiensis habuerit. Nusquam profecto Theologicum certamen ferocius fuit, seu privatæ Ducum indolis causâ, seu propter Eckium, cujus defuncti Jesuitæ supervenientes opus susceperunt. Jesuitæ claudunt quodam modo utriusque periodi tempora, quid que valeant illa et significent absolute demonstrant. Supervacaneum est memorare quo modo solide Eckii opus firmaverint et id postremo effecerint ut Ingolstadium sedes fidei Catholicæ præcipua fieret. Attamen si quis solummodo spectat ad hanc pertinentem in extremos desinentis sæculi annos periodum, et ad sola studiorum commoda, non poterit quin agnoscat et confiteatur utilem et magni momenti eorum fuisse auctoritatem. Profecto postquam in Academiam irrepserunt, Academicis acriter formidandisque artibus æmulati sunt, duobus scilicet modis : scholaris stipendii immunitate morumque emendatione. His artibus ad se omnes stipendiorum egenos allexerunt, et eos qui, propter pecuniæ parcitatem, se a cæteris segregaverant; brevique auctior ivit numerus eorum quibus litterarum et doctrinæ beneficia largirentur. Nec multo post compertum fuit e Societate Patres, nullam in partem Academiæ professoribus esse inferiores; quippe qui suarum methodorum ingeniosâ novitate omnium animos in se converterent. Tunc in præcipua Academiarum hujus ætatis vitia se convertentes, morum disciplinam ab ingenii cultu sejunxerunt; quin imo animi culturam disciplinæ morum postponere visi sunt. Hæc morum emendatio, nequidquam a quibusdam ex Universitatis sagacibus moderatoribus exoptata, omnino ab ipsis Jesuitis perfecta est, et

Bursarum pessimi exempli licentiæ Collegiorum successit disciplina. Igitur non mirum est si, brevi tempore, in maximâ gratiâ apud omnes fuere. Interea dum intra Academiam quosdam ex optimis suis professoribus instituebant, Patres extra Academiæ muros largiebantur doctrinam ad vulgi sensum magis accommodatam, et suos discipulos, minori magnificentiâ et apparatu, ad diversas vitæ conditiones informabant. Ita dum Academia ad genus audientium numero perpaucum spectaret, ipsi contra, sacrâ propriam auctoritatem augente dignitate, fere discipulorum genera omnia amplectebantur. Magni ergo interest ut hujus studiose meditatæ disciplinæ incrementa, primâ ab origine, insequamur, quæ sibi tanti momenti et ponderis auctoritatem apud recentiores gentes erat conciliatura.

Ingolstadiensis igitur Academia a principio instituta eo animo ut religioni proficeret, non alia veteribus qui quartum decimum sæculum perterruerant erroribus, nisi arma vetera primum opposuit, nec aliam, nisi veterem studiorum rationem; novis vero periculis arma nova. In brevi quasi tabellâ imaginem reddit earum, quibus laboravit Germania, animorum perturbationum, et partium certaminis, in hoc sæculo habiti, historiam refert.

INDEX

EN VENTE A LA MÊME LIBRAIRIE :

ALAUX. **L'analyse métaphysique.** Méthode pour constituer la philosophie première. 1 vol. in-8 . . . . 7 50

BONIFAS (F.). **Étude sur la Théodicée de Leibnitz.** 1 vol. in-8 . . . . 3 »

BRUNEL (Henri). **Avant le christianisme** ou **Histoire des doctrines religieuses et philosophiques de l'antiquité.** 1 vol. in-8 . . . . 5 »
— **Étude sur l'histoire du christianisme.** 1 vol. in-8 . . . . 5 »

CHASTEL (Ét.). **Le Christianisme** et l'Église au moyen âge. Coup d'œil historique. 1 vol. in-12 . . . . 3 50
— **Le Christianisme** dans l'âge moderne, 1520-1800. 1 vol. in-12 . . . . 3 50

CUVIER (Charles). **Cours d'Études historiques,** au point de vue philosophique et chrétien. 5 vol. in-12 . . . . 17 50
1er vol. Esquisse d'une Philosophie de l'histoire.
2e vol. Les Sémites et le monde mahométan.
3e vol. Les Camites traditionnels et les peuples de race noire.
4e vol. Les Peuples de race mongolique, de race malaise et de race cuivrée.
5e vol. Les Japhétites ou les nations de race indo-européenne. Antiquité.
Sous presse le 6e volume.
Chaque volume se vend séparément 3 50

DEBRIT (Marc). **Histoire des doctrines philosophiques dans l'Italie contemporaine.** 1 vol. in-12 . . . . 3 50

HANNOTIN. **Dix ans d'études philosophiques.** Philosophie allemande : Leibnitz, Kant, etc. ; leur impuissance. — Philosophie universitaire. — Ses erreurs. — Cause du mouvement en l'homme et dans l'univers. — Constitution de l'homme. — Morale qui en découle. — Origine des idées. — Nouvelle explication. — Trois facultés innées. — Le bonheur, 1 volume in-8 . . . . 7 50

HAAG (Eug.). **Histoire des dogmes chrétiens.** 2 vol. gr. in-8 . . . . 15 «

HASE (Dr Karl). **Histoire de l'Église.** Traduit de l'allemand avec l'autorisation de l'auteur sur la 8e édition de l'original, par **A. Flobert,** docteur ès-lettres, pasteur de l'église réformée. 2 vol. in-8 . . . . 15 »

HERBERT SPENCER. **De l'élimination graduelle du mal** (Social Statics) traduit de l'anglais. 1 br. in-8 . . . . 1 75

OTT (A.). **De la Raison.** Recherches sur la nature et l'origine des idées morales et scientifiques. 1 fort vol. in-8 . . . . 7 50

NAVILLE (H. Adrien). **Julien l'Apostat et sa philosophie du polythéisme.** Professeur de philosophie à l'Académie de Neufchâtel. 1 vol. in-8 . . . . 4 »
— **Histoire des trois premiers siècles de l'Église chrétienne.** 1re série : **Le siècle apostolique.** 2e édition. 2 vol. in-8 . . . . 12 »
2e série : **La grande lutte du Christianisme contre le paganisme. Les Martyrs et les Apologistes** (Ouvrage couronné par l'Académie française). 2 vol. in-8. Le tome 1er est épuisé.
3e série : **L'Histoire du Dogme.** 1 vol. in-8 . . . . 6 »
4e série : **La vie ecclésiastique, religieuse et morale du Christianisme aux IIe et IIIe siècles.** 1 vol. in-8 . . . . 7 50
Les exemplaires *complets* des trois premières séries, soit 5 vol. se vendent actuellement, brochés 50 fr., reliés 62 fr. 50.

RICHARD (Jean). **Essai de philosophie religieuse,** 1 br. in-8 . . . . 1 50
— **Étude sur le mysticisme spéculatif de Saint Bonaventure,** Dr du XIIIe siècle. 1 vol. in-8 . . . . 2 50

Paris. — Typ. Ch. Unsinger, 83, rue du Bac.


MAR 17 2005

